



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118863**

Liber CXCVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

## LIBER CXCVI.

URBAN. VII. PONTIF. MAXIMUS.  
FERDIN. II. OCCID. IMP.



§. I.

*Motus in Gallia excitati occasione cu-  
jusdam libri a P. Santarello  
editi.*

**I**nitio hujus anni post Christum na-  
tum millesimo sexcentesimo vigesi-  
mo sexto non modo Parisiensis Fa-  
cultas Theologica, sed ipsum etiam  
ut vocant Parisinum *Parlamentum*, nec-  
non sanctior Regis Senatus in prosci-  
bendis erroneis ac perniciosis doctrinis  
fervens exhibebat studium; postquam  
enim innotuerat, quod anno priori ty-  
pis Zannetinis Romæ prodiisset Antonii  
Santarelli Jesuitæ *tractatus de hæresi,  
schismate, apostasia, sollicitatione in Sa-  
cramento pœnitentiæ, necnon de potestate  
Roma-*

*Gramond.  
Hist. Gall.  
lib. 15.  
Argentre  
concl. Fa-  
cult. Theol.  
t. 2. p. 203.*

Sæc. XVII. *Romani Pontificis in his delictis puniendis*,  
 A. C. 1626.

libello rursus plura adversus Regum & Principum auctoritatem & jura contineri: eapropter omnes totius Regni Prætores hunc librum in Franciam invehî, aut divulgari inhibebant; insuperhabita tamen horum solertia hic fœtus Parisiis plurium manibus terebatur: nulla igitur mora Facultas quatuor deputabat Doctores, qui hunc librum maturo examini subjicerent, summeque desuper judicium in publicis Sobonæ comitiis proferrent. Hi ergo undecim propositiones ex præfato libro decerpserunt, quas censuris perstringendas Facultati exposuerunt. Erant autem sequentes hæc I. „Papa habet potestatem in Principes directivam, ergo & Correctivam: non enim potest habere Directivam sine Correctiva, cur igitur non poterit Principes iniquos punire per Censuram Ecclesiasticam?”

II. „Hinc infero, quod summus Pontifex possit hæreticos Principes punire etiam pœnis temporalibus, quapropter non solum eos excommunicare, sed & regno privare, eorumque subditos ab eorum Obedientia liberare potest.”

III. „Papa deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat Principi”

„cipibus curatores, quando ipsi fuerint Sæc. XVII.  
 „inutiles ad regendum subditos. Papa A.C. 1626.  
 „sine Concilio deponit Imperatorem,  
 „quia Papæ & Christi unum est tri-  
 „bunal.,

IV. „Papa quantumcunque exem-  
 „ptum (si expedit) punit & deponit.

V. „Papa potest deponere Impera-  
 „torem, & Reges pro delictis, & quod  
 „summam, supremam, & absolutam  
 „potestatem habeat Papa, videtur esse  
 „multum æquum, & Reipublicæ ex-  
 „pediens, scilicet ut sit aliquis supre-  
 „mus Monarcha, qui Regum ejusmodi  
 „excessus possit corrigere, & de ipsis  
 „justitiam ministrare.,

VI. „Possunt summi Pontifices ex  
 „caussa amovere Reges, & deponere  
 „Imperatores, sicut sæpe accidit, & vi-  
 „sum est, quando scilicet eorum mali-  
 „tia hoc exigit & Reipublicæ necessi-  
 „tas sic requirit.

VII. „Ratione fidei aut peccati gra-  
 „vis aut manifesti (si incorrigibilis fue-  
 „rit Imperator aut Rex) potest eum  
 „Papa deponere.

VIII. „Potest Papa deponere Reges  
 „non solum propter hæresin, aut schis-  
 „ma, aut aliud crimen intolerabile in  
 „populo, sed etiam propter insufficien-  
 „tiam.

Sæc. XVII. IX. „Papa potest Regem deponere  
 A. C. 1626. „ratione iniquitatis, & inutilitatis suæ  
 „personæ: potest Imperatorem depo-  
 „nere, & Imperium alteri dare, si non  
 „defendat Ecclesiam.

X. „Papa potest deponere Reges  
 „negligentes, sicut Petro concessa fuit  
 „facultas puniendi pœna temporali,  
 „imo etiam pœna mortis dictas perso-  
 „nas ad aliorum correctionem & exem-  
 „plum: sic etiam concedendum est Ec-  
 „clesiæ: Summo ejus pastori conce-  
 „sam esse facultatem puniendi pœnis  
 „temporalibus transgressores legum di-  
 „vinarum, „

XI. „Potest Papa Reges movere &  
 „mortis pœna punire. Petro ejusque  
 „Successoribus dictum est, pascite oves  
 „meas, sed ad pastorem pertinet pu-  
 „nire oves suas ea pœna, quæ ratio  
 „indicat illas esse puniendas. Ergo si  
 „propter bonum commune aliquando  
 „prudencia & recta ratio exigit, ut  
 „Principes inobedientes, & incorrigi-  
 „biles pœnis temporalibus afficiantur,  
 „Regnoque priventur, potest summus  
 „Ecclesiæ pastor pœnas imponere, nec  
 „enim Principes sunt extra ovile Ec-  
 „clesiæ. „

Hasce propositiones unacum earum  
 Auctore Collegium Sorbonæ damnare,  
 atque acri doctaque censure perfrin-  
 gere

gere statuit, interea vero librum, ut Sæc. XVII.  
 perversa ejus doctrina Senatus judicio A.C. 1626.  
 palam fieret, die decima tertia Martii  
 Parisino Parlamento exhibuit.

## §. II.

*Parisi Senatus sententia adversus  
 hujus Jesuitæ librum.*

Eadem die Parisiensis Senatus edi- Argentre  
 ctum promulgabat, vi cujus decla- l. c.  
 ratum, quod propositiones & doctrinæ Script. au-  
 in Patris Santareli libro contentæ sint thent. Soc.  
 falsæ, scandalosæ, & seditiosæ, ea- J. pag. 37.  
 rumque potissimæ ad evertendam Re-  
 gum auctoritatem, necnon ad subditos  
 ab eorum obsequio avertendos, atque  
 ad rebellionem incitandos spectent: ea-  
 propter constituta læsæ Majestatis pœ-  
 na omnibus typographis, ac Biblio-  
 polis ne tam perversum librum vende-  
 rent, vel retinerent inhibitum, jussim-  
 que, ut cuncti omnia exemplaria, si  
 quæ haberent, ad Judices deferrent,  
 insuper statutum, ut infaustus hic par-  
 tus carnificis manu palam discerptus  
 igni daretur, ac Jesuitæ compelleren-  
 tur, quatenus adversus detestandam  
 illius doctrinam divulgatis lucubrati-  
 onibus calamos suos exercerent.

Aa 2

§. III.

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

§. III.

*Præcipui Societatis Theologi doctrinæ suæ rationem reddere jussi.*

*Gramond.  
l. c. Argen-  
tre l. c.  
Abrege  
Chronol.  
t. 3. p. 427.*

Præterea sequenti die Senatus, Regis jussu Patri Cottono Parisinæ Provinciæ Provinciali, necnon Patri Ignatio Armando Claramontani Collegii Rectori, ac quatuordecim præcipuis Societatis Jesuiticæ Theologis diem dedit, ut in judicio comparentes, de Societatis doctrina circa Regum potestatem palam rationem redderent, atque ad quæstiones sibi proponendas integra fide responderent. Præstituta igitur die Jesuitæ sistuntur in judicio, ac præ ceteris P. Cottonus a Verduno primo Præsidente interrogatus, cum ipsi, qui tot hominum conscientias in Cathedris, pulpitis & Sacro Tribunali moderantur, & juventutem in Scholis instruunt, nil scriberent contra perniciosam Santarelli doctrinam? ad hoc respondit P. Cottonus, prudentiam exigere, ut nihil ea de re in publicum emittant; nam Scriptorem natione Galum vapulaturum Romæ, Italum Parisiis, totamque Societatem in discrimen adducturam, hanc vero in id esse intentam, ut neminem offen-

dat. Percepto hoc responso Jesuitis a **Sæc. XVII.**  
 Curiz Patribus prima hæc propone- **A.C. 1626.**  
 batur quæstio: *Probaturne vobis perni-*  
*ciosus Santarelli liber editus sub hoc titulo:*  
*tractatus de hæresi?* ad hoc P. Cotto-  
 nus pro se, suisque sociis præsentibus  
 ita respondit: *adeo illum improbamus, ut*  
*etiam contra ejus doctrinam scribere parati*  
*simus, decemque exemplaria, quæ ad no-*  
*stras manus pervenerunt, suppressimus.*  
*Quid! suppressimus, regessit Cancellarius*  
*unde vobis ea auctoritas?* ad hoc Patre Cot-  
 tono reponente, quod id sibi licere exi-  
 stimarit, Senatores interrogarunt, *quare*  
*hæc exemplaria, uti nuper a Senatu man-*  
*datum, ad Cancellarium vel primum Præ-*  
*sidem non detulistis?* responderunt Je-  
 suitæ: *nos ad plures alias obedientias,*  
*quam ceteri Religiosi, obstricti sumus:* Postea  
 Senatores plura alia ex Jesuitis scisci-  
 tabantur, quæ omnia tam interrogata  
 quam responsa veluti per dialogum suo  
 ordine referimus.

Senat. *Quare improbatis perversam*  
*hanc doctrinam, quam tamen Mutius Vi-*  
*tellefcus Societatis vestræ Generalis Romæ*  
*approbat, uti nostis?*

Jesuitæ, *novimus equidem, nec nega-*  
*mus hanc doctrinam Romæ a nostris appro-*  
*batam, sed quare nobis imputabitur error*  
*Transalpinus, cui nemo nostrum subscribit*  
*in Gallia?*

Aa 3

Senat.



Sæc. XVII. Senat. *Eja ergo: ad hæc duo respon-*  
A. C. 1626. *dete: creditis, quod Gallia Regi in sua di-*  
*tionem jus omne in suos subditos sit? aut*  
*creditis, quod aliqua extera potestas possit*  
*Et debeat sese ingerere, Regisque Personam,*  
*aut Ecclesie Gallicanae tranquillitatem per-*  
*turbare valeat?*

Jesuitæ. *Non, nam credimus, quod*  
*Regi jus omne sit quoad temporalia.*

Senat. *Quid temporalia! loquimini*  
*distincte, Et dicite nobis, creditisne vos,*  
*summo Pontifici jus esse in Reges, ut per*  
*excommunicationem sacris ipsos interdici,*  
*subditos sacramento fidelitatis solvere, Ro-*  
*gnumque in prædam dare valeat?*

Pater Cottonus. *Absit verbo invidiam*  
*excommunicari Christianissimum Regem!*  
*absit omen! Quis credat primogenitum Ec-*  
*clesiæ futurum aliquando Matris hostem,*  
*quam protexit semper, Et protegit? qui*  
*excommunicandum, qui continuo pugnat*  
*hæresi in Regno suo extirpanda?*

Senat. *Verum vester Generalis, qui*  
*hunc librum approbavit, tenet hanc sen-*  
*tentiam velut infallibilem: num diversa*  
*vobis est a Præposito, Societatis vestra*  
*Generali sententia?*

Jesuitæ: *Qui Romæ degit Præpositus*  
*vester Generalis, vix est, quod improbare*  
*possit, quod Roma probat.*

Senat. *Sit ergo illi sua opinio, qua-*  
*nam autem est vestra?*

Jesui-

Jesuitæ: *Plane illi contraria.*

Sæc. XVII.

Senat: *Quid autem faceretis, si vos* A. C. 1626.  
*Romæ essetis?*

Pater Cottonus: *Mutaretur nobis  
animus cum cælo, & sentiremus, uti Romæ.*

Senat: *respondete præcise, procul sint  
ambages & subterfugia vestra: quid cen-  
set Societas vestra (ut universa est) de  
Romanæ Sedis in Reges potestate?*

Ad hæc Pater Cottonus ceterorum  
nomine supplicabat, ut ei desuper cum  
Sociis suis communicandi facultas con-  
cederetur, qua illis a Senatu data per  
dimidiam ferme horam in separato cu-  
bili conferebant, ac paulopost reversi  
ad priorem interrogationem ita respon-  
derunt: *Nobis cum Sorbona & Galliæ  
Clero ERIT assensus in eandem doctrinam  
UNIVOCUS: Cum autem in his ver-  
bis Senatores æquivocationem latere  
crederent, hinc regesserunt: Explicate  
apertius mentem vestram, quænam est hæc  
Sorbonæ doctrina, quam probatis? Tum  
Pater Cottonus respondit, si exiguum  
tempus conceditis nobis, dabimus ex scripto  
sententiam, in quam vix est modo speran-  
dum, ut conveniamus per angustias tempo-  
ris: ad hanc petitionem Senatus respon-  
dit: Ite, conceditur vobis tridui spa-  
tium, mox tamen eisdem scriptum ex-  
hibebatur approbandum & subscriben-  
dum,*

Aa 4

dum,

Sæc. XVII. dum, in quo hæc quatuor propositiones  
A. C. 1626. nes continebatur.

I. Reges potestatem suam Regnumque a nemine accepisse, nisi a Deo, & suo gladio.

II. Papam nullam habere potestatem, nec coercitivam nec directivam in supremos Principes.

III. Regem non posse excommunicari.

IV. Papam non posse subditos liberare a juramento fidelitatis, nec Regnum interdicto subicere sub quacunque causa vel obtentu.

Eadem die ex Jesuitis nonnulli ad ædes Nuntii Apostolici convolabant, ibidemque per sex circiter horas presente etiam Belgii Oratore deliberabant. Interea vero Regius Senatus die decima septima ejusdem Mensis declarabat, quod ad conservandam Regiam auctoritatem, atque Ecclesiæ Gallicanæ juram omnino necessarium esset, ut Jesuitæ librum & doctrinam Patris Santarelli damnarent, hujusque damnationis testimonium scriptotenus ad Curiam deferrent, ac contrariæ doctrinæ argumenta post bimestre proponerent, sicut tanquam Majestatis læsæ rei & tanquam publicæ tranquillitatis perturbatores plectendi. Porro juxta hanc Senatus sententiam Richelius Cardina-

lis certam normam a Marillaco Regii Sæc. XVII.  
 Sigilli Custode conceptam Jesuitis pro- A. C. 1626.  
 posuit, vi cujus censuræ a Facultate Pa-  
 risina & Clero pronuntiata subscribere  
 tenerentur. Promiserat quidem P. Cot-  
 tonus, subscripturos Jesuitas, si Sor-  
 bona & Clerus Gallicanus pariter velit  
 subscribere: addebat tamen, suum non  
 esse, superioribus Ecclesiasticis legem  
 ponere, nec aliis, quæ ante se fuissent,  
 Ecclesiæ partibus: præsertim, cum Sta-  
 tibus Generalibus Regni anno 1614. vi-  
 sum fuerit, hoc argumentum non at-  
 tingere, idque ab ipsomet Rege fuisset  
 approbatum: Verum Edmundus Riche-  
 rius, quantumvis Jesuitæ eum sibi in-  
 sensum, hancque litem *primum iræ suæ*  
*in Societatem effectum* fuisse crediderint,  
 eisdem tamen in arcto positis opportu-  
 num suggessit consilium, significans,  
 a Jesuitis nil aliud exigendum, nisi ut  
 subscriberent formulæ, qua promitte-  
 retur, quod velint signare censuram a  
 Sorbona, & Clero Gallicano in Santa-  
 relli librum ferendam, prout P. Cotto-  
 nus antea pollicitus erat.

## §. IV.

*Jesuitarum declaratio circa articulos  
 sibi a Parisiensi Senatu pro-  
 positos.*

Aa 5

Evo-

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

*Scripta au-  
thograph.  
Soc. J.  
pag. 37.*

Evoluto triduo Jesuitæ numero sexde-  
cim declarationem circa quatuor  
illos articulos nuper a Regio Senatu  
propositos, ac proprio chirographo mu-  
nitos in Curia Parisiensi exhibuerunt,  
hujus tenoris: *Nos subscripti declaramus,  
nobis improbari pravam Doctrinam, quæ  
continet Liber Santarelli, quoad ea, quæ  
concernunt Regum personas, authoritatem  
& status, in quibus agnoscimus ipsorum  
Majestates immediate a Deo dependere, præ-  
terque sumus vitam & sanguinem propin-  
dere quavis occasione ad hanc veritatem  
confirmandam, & promittimus nos sub-  
scripturos censuræ, quam super hac perni-  
tiosa Doctrina fieri continget a Clero &  
Sorbona, nec professuros ullam opinionem  
sive doctrinam, quæ ei repugnet, quam circa  
hanc materiam tenebit idem Clerus, Uni-  
versitates Regni, & Sorbona.*

Ceterum Jesuitæ in Galliis dege-  
tes, cum reliquos hujus Instituti Viros  
in aliis Regionibus hac sua declaratio-  
ne offendi posse, probe prospicerent,  
Pater Ignatius Armandus, qui et-  
dem cum ceteris subscripserat, eje-  
ratæ doctrinæ in Societate receptæ cu-  
lumniam amovere satagit, hancque in  
rem epistolam, cujus authographum  
ad manus habeo, ad Patrem Provin-  
cialem Societatis in Germania supe-  
riori dedit, in qua præfatam inferens  
decla-

declARATIONEM hæc subjungit: nec hæc Sæc. XVII.  
 ita generatim dicta censuimus quicquam con- A. C. 1626.  
 tinere, quod adversaretur honori aut cultui  
 divino, ideoque iisdem subscripsimus, &  
 ea per unum de nostris transmisimus ad Do-  
 minum Cancellarium, cui ista declaratio ita  
 subscripta visa est placuisse.

Postea hic idem in præfatis literis  
 retulit, quod die decima septima Men-  
 sis Martii Parlamentum denuo convenerit  
 adversus Jesuitas, ac durante hoc confesse  
 Dominus de la Villauclercius bis ad hunc  
 conventum ingressus sit Regis nomine, secum  
 deferens præfatam scriptam declarationem,  
 quo tamen non obstante Senatores ultra pro-  
 gressi decreverint sequentia: Primo (ita  
 sonant verba præfati Patris) nos sub-  
 scripturos Censuræ Sorbonicæ contra tra-  
 ctatum, qui inscribitur, Admonitio ad  
 Regem &c. Secundo nos improbaturus  
 Doctrinam Santarelli, nempe Capite 30.  
 & 31. contentam. Tertio nos contra eam  
 scripturos. Quarto fore, ut eadem ad  
 Provinciam subscribenda mitterentur. Sin-  
 minus processum iri contra nos tanquam  
 reos læsæ Majestatis. Actum etiam fuit  
 de claudendo Collegio Claromontano, nec  
 nisi quindecim suffragia nobis fauerunt, tre-  
 decim adversantibus.

Die decima octava indicatum fuit hoc  
 Decretum P. Cottono, cui quod quartum  
 jam præcedenti die vena aperta fuisset, vi-

Sæc. XVII. res valde debilitatæ fuerant, & graviter  
 A. C. 1626. admodum postrema ejusdem decreti verba  
 tulit: quid, inquit, nos adeo fideles  
 Regi insimulari criminis læsæ Majesta-  
 tis? his aliisque negotiis cum variis per-  
 actis iterato ei vena incisa fuit.

Die autem vigesima Martii non modo  
 Jesuitæ Parisini, sed omnes Provin-  
 ciales & Rectores, necnon sex anti-  
 quiores cujuslibet Collegii Patres se-  
 quentem retractationem suo chirogra-  
 pho munire jubebantur: Quoniam in  
 libro Antonii Santarelli, de hæresi, Apo-  
 stasia, & schismate inscripto, qui mox  
 a Curia Parlamenti damnatus fuit, pler-  
 que sint scandalosa, seditiosa, ad sub-  
 versionem statuum tendentia, ad distrahen-  
 dos quoque subditos ab obedientia Regum,  
 Principum supremorumque Dominorum, ac  
 eorum status attingentia, necnon in magnum  
 periculum, ac discrimen ipsorummet perse-  
 nas adducentia: propterea nos illa pariter  
 improbamus, rejicimus, atque damnamus.

Quantumvis vero Jesuitæ hac sua  
 revocatione Sorbonicam censuram an-  
 no priori die prima Decembris contra  
 librum Admonitio latam approbassent,  
 & Santarelli doctrinam detestati, eam  
 se impugnatos promississent, nihilo-  
 minus Pater Garaffus Jesuita die vige-  
 sima octava Martii Regiæ Curie libel-  
 lum supplicem porrexit, suis Sociis  
 indul-

indulgeri petens, ne Santarelli doctrinam <sup>Sæc. XVII.</sup> *calamo impugnare* tenerentur: ast <sup>A. C. 1626.</sup> hæc ipsa eorum petitio rejecta est a Senatu, & a Talono Regio Advocato, qui in Servini locum successerat, postquam hic die sexta Martii, cum in Parlamento coram Rege pro populi salute peroraret, apoplexia tactus in Senatu corruerat, ac intercluso spiritu percitus defecerat, hæc ingeminans verba: *Jesus Maria, Jesu Fili David, miserere mei.*

## §. V.

*Conclusio Facultatis Theologicæ Parisiensis de damnando Patris Santarelli libro.*

Die prima Mensis Aprilis Doctores Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis in aula Collegii Sorbonici publica habuere comitia, eo fine, ut Santarelli Jesuitæ librum & doctrinam, quam Senatus Regius jamjam damnaverat, condigna quoque perstringerent censura. Præprimis igitur Joannes Daultruyus, & Stephanus Dupuis, qui præter Doctores Rometum & Chapelasum ad examinandum Santarelli librum selecti erant, in eodem hanc contineri doctrinam exposuere: *Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire*



Sæc. XVII. punire Reges & Principes, eosque depo-  
 nere, & regnis suis privare ob crimina

hæresis, eorumque subditos ab illorum o-  
 bedientia liberare, eamque semper in Ec-  
 clesia fuisse consuetudinem, & propter ali-  
 as etiam causas, uti pro delictis, si ex-  
 pedit: si Principes sint negligentes, pro-  
 pter insufficientiam, & inutilitatem per-  
 sonarum suarum. Item Pontificem ius &  
 potestatem habere in spiritualia simul, &  
 omnia temporalia, & in eo esse de jure  
 divino utramque potestatem spiritalem &  
 temporalem. Credendum esse Ecclesie  
 summoque ejus Pastori concessam esse po-  
 testatem puniendi pœnis temporalibus Prin-  
 cipes transgressores legum divinarum &  
 humanarum, præsertim si crimen fuerit hæ-  
 resis. Dixerunt etiam eundem Sanctum  
 assertum, Apostolos fuisse subditos  
 Principibus Sæcularibus, de factis, non  
 de jure. Quin etiam statim, atque con-  
 stituta est Pontificis majestas, cœpisse om-  
 nes Principes esse illi subditos. Denique  
 retulerunt præfati Doctores, Sanctum  
 explicare verba Christi: Quodcumque  
 ligaveris super terram &c. non tantum  
 de potestate spiritali, sed etiam temporalis:  
 Ipsumque Sancto Paulo imponere, verba  
 illius, detracta negatione, immutando.

Harum propositionum doctrinam ab  
 hisce Theologis expositam, atque ma-  
 tura deliberatione discussam Parisien-  
 ses

ses Doctores unanimi suffragio reprobaverunt, eamque contentam tanquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificis dignitati odium conciliantem, schismati occasionem præbentem, supremæ Regum authoritati a Deo solo dependenti derogantem, Principum infidelium, & hæreticorum conversionem impediendam, pacis publicæ perturbativam, regnorum, statuum, rerumque publicarum eversivam, subditos ab obedientia, & subjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem damnarunt, ac iterato examine plures alias propositiones erroneas ex eodem libro decerpserunt, tandem vero Filefaco, Isamberto aliisque Doctoribus negotium dederunt, ut censuræ evulgandæ ideam proponerent.

## §. VI.

*Censura Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis lata in Santarelli librum.*

Accerrime dimicabatur in Sorbona, <sup>Argentorati</sup> quam censura Santarelli liber <sup>l. c.</sup> esset perstringendus, tandem vero habebantur die quarta Aprilis rursus Sorbonæ comitia, in quibus Joannes Filefacus Facultatis Doctor referebat, ceteros Theologos in hanc censuræ formulam convenisse.

„Si

Sæc. XVII.

A. C. 1626.

„Si quis nos in fines Sæculorum  
 „devenisse, ut loquitur gentium Apo-  
 „stolus, forte dubitet, postrema hæc  
 „tempora tantisper expendat, eaque  
 „cum prioribus componat, is facile de-  
 „prehendet humani generis hostem in  
 „utraque politia, & Ecclesiastica, &  
 „civili, nihil intentatum reliquisse, quo-  
 „minus utramque non tam labefactare,  
 „quam omnino pessumdare videretur.  
 „Ecclesiam Christi sponsam qua stylo,  
 „qua ferro conficere conati sunt impij  
 „illi, qui posuerunt in Cælum os suum:  
 „Politiam illam civilem alia via ag-  
 „gressi dementati homines; cum enim  
 „potestatem sæculi non sine causa gla-  
 „dium portare viderent, libris netar-  
 „dis eam quasi per clanculares insidias  
 „e medio tollendam existimarunt. Hos  
 „S. Judas in Epistola Canonica non alia  
 „nota nobis dignoscendos proponit,  
 „quam quia dominationem contem-  
 „nant, & Majestatem blasphemant.  
 „Atque utinam de solo contemptu &  
 „maledica oratione ageretur, quin  
 „male feriati Scriptores id genus pe-  
 „testatis cujusdam in Ecclesia tempo-  
 „ralis prætextu, Reges, arbitrio, &  
 „nutu Ecclesiastico, levissimis etiam  
 „de causis ac plane ridiculis, de solo  
 „deturbandos, aliosque vel annuos vel  
 „etiam diarios, si ita libuerit, subiti-  
 „tuen-

„tuendos contendunt. Quod cum in Sæc. XVII.  
 „Univerſæ civilis politiæ, ac potiffimum A. C. 1626.  
 „Gallicæ Monarchiæ sub Chriftianiffi-  
 „mo, & juftiffimo Rege noſtro Ludo-  
 „vico perniciem, everſionemque, me-  
 „ditatum confeſtumque videret Facul-  
 „tas Theologica Pariſienſis, ut Majo-  
 „rum veſtigiis inhærendo, ſuum erga  
 „piiffimum Regem noſtrum, iſtudque  
 „præſertim Chriftianiffimum Regnum,  
 „animum ſtadiumque declararet, bo-  
 „norumque omnium votis ſatisfaceret,  
 „præ ceteris nuperum librum Antonii  
 „Sanctarelli Jeſuitæ de Hæreſi, ſchis-  
 „mate, Apoftafia &c. a quibusdam ſe-  
 „lectis Doctoribus examinandum cen-  
 „ſuit, in congregatione Generali ex-  
 „traordinaria decima ſexta Martii im-  
 „mediate præcedentis habita. Sed quo-  
 „niam multa in eo pertractantur, quæ  
 „ad rem, de qua potiffimum agitur,  
 „minime ſpectarent, duo duntaxat ca-  
 „pita 30. & 31. tractatus de Hæreſi ex-  
 „cutienda ſelegit. Itaque anno Domini  
 „milleſimo ſexcentefimo vigefimo ſexto  
 „die prima Aprilis poſt Miſſam de S.  
 „Spiritu, habitis ſolemni more uſitatis  
 „Comitiis in aula Collegii Sorbonæ, au-  
 „dita eſt relatio Magiſtrorum ab eadem  
 „facultate ſelectorum, qui expoſuerunt  
 „in duobus illis capitibus iſtas propoſi-  
 „tiones contineri: ſummum Pontifi-  
 „cem

*Hift. Eccleſ. Tom. LVIII.*

B b

„cem

Sæc. XVII.,cem &c. *Re itaque* in deliberationem  
A. C. 1626.,a Domino Decano adducta, auditis  
 „omnium & singulorum Magistrorum  
 „maturis deliberationibus Facultas im-  
 „probavit, & damnavit doctrinam his  
 „propositionibus & horum capitum co-  
 „rollariis contentam tanquam novam  
 „falsam, erroneam, verbo Dei contra-  
 „riam, Pontificiæ dignitati odium con-  
 „ciliantem, schismati occasionem præ-  
 „bentem, supremæ Regum auctoritati  
 „a Deo solo dependenti derogantem,  
 „Principum infidelium & hæreticorum  
 „conversionem impediendam, pacis pu-  
 „blicæ perturbativam, Regnorum, Sta-  
 „tuum, rerumque publicarum ever-  
 „sivam, subditos ab obedientia & sub-  
 „jectione avocantem, & ad factiones,  
 „rebelliones, seditiones, & Principum  
 „parricidia excitantem. Datum in Soc-  
 „bona die & anno præfatis. Et re-  
 „cognitum die quarta Aprilis anno mil-  
 „lesimo sexcentesimo vigesimo sexto.

Hac igitur censura palam per-  
 lecta & approbata, censuit Facultas  
 lam esse evulgandam: Senatus quoque  
 præcepit, ut hæc ipsa censura ad Ce-  
 riæ acta referretur, eaque religiose ser-  
 varetur, indictis etiam severioribus  
 poenis in eos, qui contra hoc manda-  
 tum loqui aut scribere præsumerent.  
 Paulopost tamen Rex Senatus sui edito  
 decla-

declarat, quod ipſus Cardinales & Sæc. XVII. A.C. 1626.  
Prælatos nominaturus eſſet, qui deci-  
derent, quibus terminis cenſura dete-  
ſtandæ & pernicioſæ doctrinæ in Santa-  
relli libro contentæ conciperetur, ac tum  
demum Rex, quod juſtum erit, decreturus  
eſſet. Hac ratione Rex hujus rei cogni-  
tionem ad ſe evocabat, ipſamque Sorbo-  
niam ac Parlamentum a cenſuræ pro-  
nuntiatæ executione præpedire nite-  
batur.

## §. VII.

*Decretum Uniuerſitatis Pariſienſis de  
recipienda cenſura.*

In ſuperhabito Regis edicto tota Pari-  
ſienſis Uniuerſitas die vigefima pri-  
ma Maij decretum promulgari juſſit,  
in quo cenſuram a Facultate Theolo-  
gica pronuntiatam approbans ſtatuit,  
„laudandum ampliffimis verbis ſacrum  
„Ordinem Theologorum, qui de im-  
„proba, & exitiali doctrina iſta pie,  
„religioſe, ſalubriterque ſtatuerint, ge-  
„neri Chriſtiano Galliæque imprimis  
„priſcæ, veræque Doctrinæ Lumen op-  
„portune oſtenderint, majorum virtu-  
„tem retulerint, remque adeo fecerint  
„illa profeſſione tuendæ veritatis, &  
„ſtudiorum Uniuerſitate, digniffimam.,  
His præmiſſis Facultas in ſuo decreto  
B b 2 hunc

*Argentre  
l. c. p. 218.*

Sæc. XVII. hunc in modum perorabat: „Ut vero  
A. C. 1626. „novæ ac pestilenti Doctrinæ aditus  
 „omnis intercludatur, & omnes, qui  
 „e Disciplina nostra sunt, eamque in-  
 „posterum amplectentur, aut in eam  
 „nomen dabunt, mature intelligant,  
 „sensus sibi, animosque e Sacri Ordinis  
 „illa Sententia comparandos a damnata  
 „doctrina ista longissime disjungendos.  
 „Utque eam omnes averfentur, de-  
 „testentur, & abhorreant, privatim ac  
 „publice dedoceant, confutent, contem-  
 „nuant, faciendum, ut in supplicatione  
 „solemni prima, tum quot annis in eo  
 „cætu, qui publice supplicandi, & pro-  
 „cedendi causa, statim ab instauratione  
 „Scholis mense Octobri agetur, prohibe-  
 „quam cuiquam postulare quid liceat,  
 „a Procuratore Universitatis ea ceteris  
 „sura palàm recitetur: tabulis libris  
 „omnium ordinum, Nationumque in-  
 „scribatur: ejus exempla duo Actuum  
 „Sacræ Facultatis manu distincta sub-  
 „scriptaque in commune tabularium  
 „inferantur: totidem ad singulos Col-  
 „legiorum & domorum Moderatores  
 „primo quoque tempore mittantur: ut  
 „omni ope ac studio ab istius Doctrinæ  
 „contagio atque peste, omnes, qui eo  
 „contubernio domiciliove utentur, aver-  
 „ceant, operamque dent, ut ne cui  
 „contra quam Sapientissimus Ordo de-  
 „cre-

„crevit, iudicavitque, dicere, facere Sæc. XVII.  
 „quicquam liceat. Si quis eorum quid A. C. 1626.  
 „immutarit, secusve fecerit Doctor,  
 „Professor, Magister, Discipulus, Li-  
 „terarum civis, aut contra laudatissi-  
 „mam censuram ullo quovis pacto,  
 „dicto, scriptove, quacunque tandem  
 „de causa, obtentuve, sollicitarit, mo-  
 „verit, attentarit, is ignominie causa  
 „dimissus, gradum, ordinem, tribum-  
 „que perpetuo interdicto amittat.

Porro ad Universitatis Parisinæ  
 exemplum pariter Tolosana die vigesi-  
 ma tertia Maij anni sequentis hoc e-  
 vulgavit decretum: *Cum frequens Ordo  
 Theologorum in hac Schola quoque pro sua  
 in rem Christianam, Regem Christianissi-  
 mum, & ejus imperium pietate & fide De-  
 creta illa pestifera, & excitialis orbi Do-  
 ctrinæ pari prudentia aversetur, & dam-  
 net: placet, ne quis in posterum, qui apud  
 nos Doctor, Professor, Magister, Disci-  
 pulus, Literarum civis erit, profanam ejus  
 viri Santarelli paginam aliter habeat, cæsi-  
 metve, quam ut facem incendiolorum, quibus  
 arsit orbis Christianus, & res Ecclesie ad  
 invidiam Apostolicæ Sedis & Pontificii ho-  
 noris sæpius afflictæ sunt; quibus Regum  
 sceptrum cum pernicie populorum, & bono-  
 rum luctu crebro tentata, rebellium furor  
 & factio ad Seditiones excitata, armata-  
 que manus infamium parricidarum in viscera*

B b 3

Prin-



Sæc. XVII. *Principum, & accepta publice vulgata, quæ vix Sæculorum acta, digne satis eluxerint: atque ut eam ideo detestentur omnes & abhorreant. Professoribus, quibus docendi, legendi, scribendi in Academiæ Scholis publicis jus est, diligentia & studio curandum, ne Seditiosi, & pestilentis scripti cum se dabit iis resellendi opportuna ulla præmittatur occasio: ejusque rei nequando memoria curave intercitat, faciendum primo quoque tempore, ut Decretum hoc per aucthorios Universitatis manu distinctum, subscriptumque mittatur in acta, & communis Scholæ tabulario tradendum etiam posteris inferatur.*

Insuper, Valencena, Burdegalensis, Pictaviensis, Bituricensis, Cadomensis aliæque Regni Academiæ Santarelli librum damnarunt, addito præcepto, vi cujus Sorbonæ censura eorum actis tabulisque infereretur. Postea Parisiensis Facultas censuræ exemplum ad Franciæ Cancellarium, & ad supremi Senatus Præsidem detulit, simplex, ut decretum Facultatis contra Santarelli librum ad sanctioris Senatus acta referretur, ac censura unacum hoc decreto diebus præfixis prælegerent. Denique alii ex Senatu selecti Ludovico Regi retulerunt, quæ circa hoc negotium hucusque contigissent.

## §. VIII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.*Hujus controversiæ exitus.*

Equidem Jesuitæ se censuræ Facultatis ac Cleri subscripturos pollicebantur, postquam vero formam, qua hæc censura erat concepta, perlegerant, & quatuor illis articulis a Sorbona sibi propositis subscribere jubebantur, tum vero nil intentatum, inausumque reliquere, ut tota caussa a Senatu & Sorbona evocata folius Regis judicio ac decisioni reservaretur: Hoc ut obtinerent, quid Jesuitæ moliti fuerint, recenset ipsemet Pater Paulus le Jeune Parisiensis Jesuita, in sua epistola, quam ad Jesuitas Provinciæ Superioris Germaniæ hoc anno perscripsit, hujus tenoris: *Plurimi ex obitu P. Cottoni magnum cæpere dolorem, ex eo tamen die res in melius mutatæ videntur, Deo Clementer annuente Defuncti precibus, ut credibile est: cum ejus anima cælum ingressa est, accedente etiam aliorum Servorum Dei, qui etiamnum in hoc turbido mari jactantur pia deprecatione: læte jam nostri Patres, ubi subscripsere Declarationi, quam Domino Cancellario transmisere, statuerunt uno consensu, Ecclesiæ Dei honorem constanter tueri contra propositiones Parlamenti, ac potius Lutetia totoque regno excedere, quam*

Bb 4

iis

Sæc. XVII. *his assensum præbere. Concluserunt se duobus tantum ejusdem Parlamenti articulis subscripturos, nimirum primo, se eandem cum Prælati & Sorbona censuram laturos de libro, cui præfixus est titulus: Admonitio ad Regem Galliarum. Secundo, se improbare Librum Santarelli, quatenus Regi, ejusque statui perniciosus est. Quod vero ad auctoritatem excommunicationis attinet, sibi fixum ac decretum esse, primum mortem oppetere, quam illi suffragari, aut assentiri. Alterum autem articulum de indirecto Pontificis Dominio in res regnorum temporales nondum definitum esse, sed problematicè disputari, neque suum esse illud definire, ac proinde se multo abire regno mortale, quam cum suo calculo comprobare, cum Prælati Galliarum nuper, sicut & Reverendissimus Cardinalis Peronius, cum publico Conventus haberentur, ei subscribere tam generoso animo recusarint.*

*Interea P. Suffrenus Reginam Matrem convenit, eamque his verbis allocutus est: „quoniam Parisiis & per Franciam tota nostra causa tempestates exoritur, ut omnem suis Majestatibus occulsi nem tollamus, aliquid deterius nobis suspicandi, eam vehementer obtestor, ut Regi dignetur insinuate, nos libenter cessuros, nec nobis in animo esse Parisiis, aut in reliqua Gallia commorari contra minimam Regi-*

„gis voluntatem, porro omnes propo- Sæc. XVII.  
 „fitos articulos merum esse prætextum A. C. 1626.  
 „ad nos regno exturbandos, siquidem  
 „cum Prælati tum ceteri Galliarum Re-  
 „ligiosi non minus quam nos ægre illos  
 „admitterent., Quibus verbis commota  
 Regina magnum commiserationis sensum te-  
 „stata promissionem adjecit, quod a nobis  
 semper stare vellet, Patrique injunxit, ut  
 eadem verba apud Regem faceret. Tunc  
 vero agebatur pervigilium Beatissimæ Vir-  
 ginis annuntiatæ. Itaque Pater præsentem  
 Reverendissimo Cardinale de Rochefokau  
 (qui in hoc negotio nobis verum se amicum  
 ac nostræ causæ patronum exhibuit) eadem  
 apud Regem commemoravit, qui non sine  
 animi sensu respondit, in hoc agi de honore  
 suo, provisurum se, ne quid ulterius Par-  
 lamentum tentaret. Cardinali dixit quo-  
 que, ut idipsum in Concilio proponeret,  
 quod postero die hora undecima cogi vellet,  
 qui dies Deiparæ sacer erat. Interim Rex  
 ad lucrandum Jubilæum sese disposuit, Et  
 mane quinque templa ad id destinata pedes  
 obivit, inter quæ & nostram Divo Ludo-  
 vico dicatum numerabatur. Quocum sub  
 horam octavam matutinam venisset, Patri  
 Ignatio, & Patri Suffreno dixit: & se &  
 Matrem, & Cardinalem de Richelieu pro  
 nobis esse, & ne quid metueremus, & hora  
 undecima super ea re in Concilio actum iri.

Sæc. XVII.

A. C. 1626.

Postea sub horam undecimam Regina modo regnans ad eandem Sacram eadem pedibus venit, quæ, cum iidem Patres ipsi sessitissent, magnum præsetulit affectum benevolentia, & Commiserationis, & addidit, si penes se omnia forent, rem brevi confectum iri. Sed nos a Rege diligi, & ipsa hora undecima pro nobis Concilium haberi.

Sub Vesperam Regina Mater Rheda ad nos vecta iisdem Patribus cum insigni benevolentia testimonio promisit, omni se auxiliaturam, sed eam rem ipsi Regi satis esse cordi.

Conclusio Concilii nondum missa fuit, sed per primum Ordinarium mittetur, nos unum rescivimus, quod sua Majestas ad accerserit suum in Parlamento Generalem Procuratorem (qui eximio amore nos amplectitur) eique dedit in mandatis, ut processus impediret, ne quid in Parlamento contra nos amplius de illis articulis proponeretur, unde omnia ad se evocari voluit.

Enimvero ad importunas patronantium preces Ludovicus XIII. Re die tertia Maij ad Universitatis Rectorum, qui ceterorum nomine censuram Facultatis ad Senatus Regii acta transferri petebat, literas dedit, quarum summa hæc erat: „vestra petitio dissolutionem a me jam extinctam, quæ inter vos & Jesuitas, qui præfatum li-  
„brum

brum tanquam malignum & pernicio- Sæc. XVII.  
 sum detestati sunt, exardescibat, rur- A. C. 1626.  
 sus accendere videtur, non autem e  
 re mea est, dissidia in Regno meo fo-  
 vere; quocirca his literis vobis signi-  
 fico, quod quamvis hucusque vestram  
 agendi rationem vituperare haud po-  
 tuerim, deinceps tamen æquam vitu-  
 perandi causam haberem, si insuper-  
 habito meo interdicto præfatum de-  
 cretum ad acta referri, adhuc pete-  
 retis, atque etiamnum hoc negotium  
 ulterius urgere velletis; nil ergo hac  
 in re movete, donec urbem meam ac-  
 cessurus, ampliora voluntatis meæ  
 sensa indicavero, spe fretus, quod  
 tum meo placito obtemperaturi sitis.,  
 Die autem tertia Junii in Sorbonæ co-  
 mitiis fuit relatum, quod Cancellarius,  
 ac Regii Sigilli Custos Syndico injun-  
 xerint, Facultati referendum, Regis  
 Christianissimi voluntatem esse, ne Fa-  
 cultas quicquam de novo moliretur,  
 aut circa censuram libri P. Santarelli  
 deliberaret: eapropter Facultas tum  
 censuit, Regi esse obtemperandum.

## §. IX.

*Hæc lis Regem inter & Parlamentum  
 ac Facultatem composita.*

Verum

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

Verum tamen die prima Februarii sequentis anni Parlamentum edito decreto quosdam deputabat, qui solite in eos inquirerent, qui variis artibus decreta Regia contra Facultatem extorserant, latamque in Santarellum censuram, eiusque executionem impedire nitebantur: Hanc in rem imper præcepit, ut Curiae Patres non modo ore, sed & calamo Regi exponerent, quatenus hanc causam, utpote pro securitate Regis, & conservanda Sacratæ suæ Personæ vita agitatam ad se evocare nollet. Postquam igitur Regi non modo Universitatis supplicatio, sed etiam supplex Parliamenti bellus ab hisce Deputatis in Regio Senatu oblatus fuerat, Richelius Cardinalis, qui tunc præcipuas partes gerebat, Deputatos his verbis alloquitur. „Rudis in Theologia foret, cui „ignotum, quod Rex a nemine, nisi „a solo Deo suam coronam, Regnum „que habeat, rudior autem adhuc esset, qui ignoraret, quod Rex nec auctoritate suis Parliamentis traditam, nec ex potestate propria, nec ex facultate Sorbonæ per Sedem Apostolicam concessa articulum fidei condidit, vel stabilire valeat, nisi sit prius ab Ecclesia in Conciliis Oecumenicis declaratus. Omnis doctus Theologus

„fidelis subditus, & Vir probus Santa-  
 „relli propositiones esse impias & abo-  
 „minandas censet: sunt temerariæ,  
 „scandalosæ, seditiosæ, Regni tranquil-  
 „litate perturbantes, sanctamque Se-  
 „dem odio exponentes, & quod pejus  
 „est, Regis securitati omnino adver-  
 „santes. Eapropter non modo æquum,  
 „sed & necessarium est, tam perniciosi  
 „libri divulgationem impediri librum-  
 „que flammis tradi, quod quidem fiet,  
 „auctoritate tamen Ecclesiæ, quæ librum  
 „per legitimam censuram damnabit,  
 „quæque sola ad sedanda turbida  
 „plurimorum ingenia sufficiens sit: ne-  
 „cessè enim est, ut ad hunc finem per-  
 „innoxia perveniatur media, non au-  
 „tem per talia, quæ Regis Personam  
 „majori exponunt discrimini, quam il-  
 „lud foret, quod evitare intenditis: sci-  
 „tis enim, plurimos adeo tetræ mentis  
 „esse, ut toto studio omnem suspicandi  
 „ansam promovere satagant, perinde ac si  
 „Rex cum Sede Apostolica collidere-  
 „tur, præcipue circa doctrinæ articu-  
 „lum, cujus decisio ad solam spectat  
 „Ecclesiam; ignorantia enim & exces-  
 „sus sui Zeli nonnunquam ejusmodi  
 „homines in quosdam prolabuntur mo-  
 „tus eo magis periculosos, quo firmiter  
 „eorum Phrænesis eos illis tanquam  
 „Sanctos depingit. Enimvero indigna-  
 „tio

Sæc. XVII.  
 A. C. 1626.



Sæc. XVII.,tio, quam Sanctitas sua uno abhinc  
 A. C. 1626.,annq̄ hac de re concepit, Valtelina  
 „pacis executionem non sine magno  
 „Regni damno hæctenus præpedivit,  
 „inde vero elucet, quam proficuum  
 „Regi, ejusque vitæ securitati fuerit,  
 „quicquid ipsemet hucusque in hujus  
 „occasionibus fecit: desiderandum er-  
 „go foret, ut Parlamentorum consilia  
 „concordent cum Regis Regique su-  
 „Senatus consiliis. Fors dicetis mili-  
 „quod si Regii Senatus rationes & mo-  
 „tiva vobis constarent, ea prompte ex-  
 „qui velletis. Ast Naucerus de navis  
 „sui directione rationem non reddit,  
 „prosper sæpe negotii successus ab æ-  
 „cano dependet, & sæpe media ad se-  
 „nem inepta redduntur, quamprimum  
 „divulgantur; Rex autem a Romano  
 „Sede censuram expectat, quæ validior  
 „erit, utpote pronuntiata ab ea, ad  
 „quam hujus causæ cognitionem spe-  
 „ctare, censent quamplurimi. Si au-  
 „tem ejusmodi censura a Papa deno-  
 „gabitur, Rex in suo Regno talem pro-  
 „curabit censuram, quam totus Orbis  
 „æquam judicabit, quæque adeo non  
 „dissensiones progerminabit, ut potius  
 „fideles ædificatura sit. Hujus ag-  
 „tur Cardinalis impulsu Rex Papam mole-  
 „licitabat, quatenus hanc litem diri-  
 „mere, pacemque restituere vellet: Nec  
 suis

fais partibus defuit Pontifex; quippe suo in Galliis Nuntio Apostolico quantum negocium dedit, ut præprimis animorum acerbitatem sedare nitetur, juncta sibi opera Lanfranci Cardinalis, qui hac de re ad Nuntium has perscripsit literas.

*Cum in hoc decreto Facultatis Theologiae Parisiensis facto in Sorbonæ Collegio prima die Februarii proxime præterita S. Sanctitati oblato nihil occurrat ita tolerandum, quo detur locus intercessioni, appellationi, totque rumoribus, qui inde secuti sunt, ac forte adhuc perseverant magno cum scandalo simplicium quotquot ea de re audierunt. Supplicatum est suæ Sanctitati, ut scribere dignetur ad Illustrissimum Dominum Nuntium, qui pro ea, qua solet prudentia, integrum ab omni parte se servans efficiet, ut ardor animorum confideat, Et reverendi Theologi exemplum modestiæ, prout hætenus exhibuere, præferentes concordissime secum invicem, Et in mutua pace vivant. Et quoniam sua Sanctitas verbo jussit rem peragi cum vestra Illustrissima Et Reverenda Dominatione, supplicatio fit humillima, ut quamprimum provideat, ne tantum malum in dies ingravescat, sicque quò meliori modo fieri poterit, vestra Illustrissima Dominatione suæ Sanctitatis voluntati obsequetur.*

Integro tamen triennio hæc controversia

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

Sæc. XVII. versia ultro citroque agitabatur, do-  
 A. C. 1626. nec ad iteratas Universitatis preces Lu-  
 dovicus Rex die octava Julii anno Sa-  
 lutis nostræ millesimo sexcentesimo tri-  
 gesimo primo Sanctioris Consilii de-  
 cretum promulgaverit, quo Universitati  
 & Facultati Theologicæ sua jura, ac  
 de doctrina judicandi auctoritatem ro-  
 sus vindicavit totumque hoc negotium  
 inter Sanctius Consilium, Parlamentum,  
 & Universitatem controversum confeci-

§. X.

*Facultatis Theologicæ censura in libro  
 Patris Francisci Garassii Je-  
 suitæ.*

*Argentre  
 Concl. Fa-  
 cult. p. 202.*

Adhuc Sorbonæ Parisini Senatus  
 fervor ac indignatio adversus Sta-  
 tarelli Jesuitæ doctrinam ardebat, cum  
 die secunda Martii Joannes Tarnat  
 Universitatis Rector exponeret, librum  
 quem P. Franciscus Garassius Jesuita sub  
 titulo *summæ Theologicæ principium ve-  
 ritatum Religionis Christianæ* edidisset  
 ad se fuisse delatum, atque in eo multa,  
 quæ reprehensione digna forent  
 contineri. Igitur Facultas septem  
 legit Doctores, qui hunc librum ex-  
 mini subjicerent, ac desuper in proxi-  
 mis comitiis referrent. Interea vero  
 Georgius Frogerus & Montreuilus  
 Sorbonæ Doctores, qui hunc li-  
 bram

brum antea approbarunt, clam Garassum monuere, ut nonnulla in suo libro emendaret: id quoque pollicitus est Author, quocirca ambo hi Doctores die secunda Mensis Maij obnixè rogabant cunctos Facultatis Magistros, ut eorum consulerent honori & famæ, nec Garassii librum ulterius discuti paterentur, nisi prius ipsis duo traderentur exemplaria earum propositionum, quas selecti Doctores censura perstringendas iudicaverint. Annuit eorum precibus Facultas, eisque cuncta, quæ in præfato libro a censoribus fuere notata, communicavit, quibus perlectis Frogerus die prima Mensis Julii exposuit, ea (paucis exceptis) benignam admittere interpretationem, nulloque negotio vel ab ipso auctore, vel ab ejus Superioribus, si monerentur, emendari posse: postea supplicavit, ut suum, necnon Montreulli honorem cordi haberet Facultas, eoquod ambo Patrem Garassum, ut nonnulla corrigeret, sincere admonissent, ipse tamen ex iis contra datam fidem multa prorsus intacta reliquerit, uti ex ejus epistolis pateret, quas Frogerus mox palam recitabat: his perceptis singulorum Doctorum colligebantur suffragia, ex quibus nonnulli censebant, monendos esse hujus Jesuitæ Superiores, ut ejus librum emendaret: id quoque pollicitus est

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.* C c men-

Sæc. XVII. mendari curarent, alioqui censura no-  
 A.C. 1626. tandum, alii vero excerptas propo-  
 sitiones nulla morâ esse damnandas pro-  
 nuntiarunt. Die igitur prima Septem-  
 bris, urgente Abbate San-Cyrano, qui  
 exinde implacabile Societatis odium  
 in caput suum accerferat, Facultas uni-  
 nimi suffragio, Theologicam Patris  
 Garassi summam esse damnandam cen-  
 suit, hocque judicio die sexta ejusdem  
 Mensis approbato, sequens divulgavit  
 decretum: *Cum Parisiensis Academiæ Re-  
 ctor exposuisset, multos graves, magnæ  
 que auctoritatis Viros apud se conque-  
 esse, quod omnium manibus tereretur opus  
 quoddam erroribus scatens sub titulo: Sum-  
 ma Theologica Patris Garassi Jesuitæ,  
 proptereaque expetisset, ut sacra Facultas  
 Theologiæ Doctores quosdam ad illud opus  
 examinandum seligeret, ne diutius in per-  
 niciem animarum, & in scandalum ac de-  
 decus Religionis grassaretur, si quid forte  
 fidei Catholicæ, vel bonis moribus adver-  
 sum latere deprehenderetur: Universus co-  
 tus æquissime illius postulationi assensus, ut  
 quot selectis Doctores Provinciam pertri-  
 gendi, examinandi, & recensendi istius vo-  
 luminis demandavit: qui post bimestre spa-  
 tium die secunda Maij ad eandem facultate-  
 tem et prius solemniter congregatam, de  
 isto opere retulerunt, ex eoque deprompta  
 quamplurima cum ipso codice impresso, ac-*

dientibus, & inspectantibus omnibus, col-  
 lata recitarunt, quæ nulla omnino ratione  
 tolerari posse jam tum judicabantur: sed  
 quoniam ii, qui prædictum volumen appro-  
 baverunt, tot & tam variis objectis ex tem-  
 pore satisfieri non posse caussati, tempus  
 sibi dari cum descripta objectorum serie pe-  
 tierunt, utrumque illis concessum est, rur-  
 sumque Kalendis Junii adhuc in mensem  
 iisdem prorogata dies ad respondendum, Ka-  
 lendis vero Julii eorum, quæ arguebantur  
 partim defensionem, partim explicationem  
 benignam afferre conati, nihilominus ali-  
 qua plane inexcusabilia esse ingenue agno-  
 verunt, & culpam omnem a se amoliri cu-  
 pientes, dixerunt, se multa in isto opere  
 castiganda ante illius approbationem notasse,  
 quorum indiculis authori traditis, cum ille  
 omnium emendationem polliceretur, se viro  
 illius professionis facile fidem adhibuisse,  
 qui tamen post acceptam approbationem,  
 non steterit promissis, sed majorem partem  
 eorum, quæ ipsi judicaverant, corrigere  
 neglexerit, in cujus rei testimonium, pri-  
 vatas Garassi epistolæ erratorum, & pro-  
 missæ emendationis mentionem facientes pro-  
 tulerunt, parati, ut ipsi asseverarunt, præ-  
 dictos quoque indiculos exhibere. Quibus  
 omnibus rite & attente consideratis, cum  
 universi doctores opus istud severa animad-  
 versione dignum ducerent, nonnullis tamen  
 visum est, uno adhuc vel altero mense ex-

Sæc. XVII.  
 A.C. 1626.

Sæc. XVII. pet̄are, ut ipse author moneretur, & lu-  
 A. C. 1626. bens ea retractaret, quæ nec satis pie, nec  
 vere, nec modeste scripserat, tandem post  
 tam longam, & diuturnam cunctationem  
 die prima Septembris in comitiis ordinariis  
 post Missam de sancto Spiritu in aula Col-  
 legii Sorbonæ celebrata, eadem sacra Theo-  
 logiæ Facultas Parisiensis matura delibe-  
 ratione præhabita, summam illam Theo-  
 logicam Francisci Garassi omnino damnan-  
 dam censuit. Quod multas propositiones  
 hæreticas, erroneas, scandalosas, & te-  
 merarias contineat, tum non pauca sacra  
 Scripturæ, & Sanctorum Patrum loca  
 perperam citata, depravata, & a suo Ger-  
 mano sensu detorta, itidem innumera scur-  
 riliter dicta a Christiana & Theologica  
 Scriptione, & lectione indigna contineat.

Promulgatæ huic censuræ adjicie-  
 bantur plusquam sexaginta propositi-  
 ones ex libro Patris Garassi extractæ,  
 quas Universitatis Rector typis evul-  
 gari jussit unacum præfata censura.  
 Tandem vero præfatus hic liber, ejus-  
 que censura eandem tulit sortem, quam  
 Santarelii causa subiit.

§. XI.

*Conspiratio in Ludovicum Franciæ  
 Regem.*

*Merc. Franc.  
 t. 12. p. 337.  
 Brietius An-  
 nal. mund.  
 tom. 7.*

Non modo literariis dissidiis, sed etiam  
 conspirationibus, ac civilibus di-  
 scordiis hic annus Galliarum Regi op-  
 pido

pido funestus fluxerat: Jam anno priori Sæc. XVII.  
 quidam Plebanus Clericus patria Nor- A. C. 1626.  
 manus de conjuratione in Ludovicum  
 XIII. Regem suspectus, a Curia Roa- Gramond.  
 nensi in vincula conjiciebatur, qui quæ- lib. 16.  
 stioni subjectus, plures alios ac præ- Hist. Gall.  
 cipue Petrum Guiotum Jesuitam con- Theatr. Eu-  
 spirationis conscium nominavit, debi- rop. p. 890.  
 tasque sceleris sui pœnas crurifragio Lotich. ver.  
 dedit: Guiotus vero Roano Parisios ab- Germ. l. 15.  
 ductus, ibidem aut potenti Sociorum c. 3. §. 10.  
 deprecatione, aut creditæ innocentiae Avis d'un  
 testimonio impunis dimittebatur, alio Theol. sans  
 autem Sicario, nomine Hieronymo passion.  
 Bofortio Gallobelga Parisiis intercepto,  
 ac tormentis subjecto Guiotus denuo  
 custodiæ dabatur, cumque neuter ho-  
 rum haud ultra visus esset, ambos se-  
 creto supplicii genere sublato creditum  
 est. Hoc autem anno magis pericu-  
 losa in Regem conspiratio a Procerum  
 nonnullis conflata erat; postquam enim  
 Ludovicus XIII. Rex Fratri suo Gastoni  
 in matrimonium Montpenseriam Prin-  
 cipem collocare constituerat, Ornanus  
 Marecallus, ejusque duo fratres, Cha-  
 laisius, Vindocini Dux, Calidabonæus  
 Gastoni fidissimus, aliique Proceres  
 has nuptias, Gastoni tanquam nata-  
 lium suorum dignitati minus consonas  
 dissuadebant, eo fine, ut crescente in-  
 ter Fratres dissidio, ipsi rerum arbitria  
 Cc 3 sibi



Sæc. XVII. fibi vindicare, suisque commodis oportunitus velificari possent. Hanc in rem præcipue Ornanus Regio adolescenti suggerebat, quod per Cardinalis Richelii ambitionem a Regni arcibus atque administratione, in quam frater suo improle hæres adolesceret, inæqualis conjugii obtentu arceretur. Hæc in eum Regis suspicio, & ab Ornano diffidentia, justusque timor, qui non parum augebatur, dum Cardinalis a Rege & Regina consultus, capeffendæ Reipublicæ aviditatem Gastoni inspiratam, necnon minacia Regi & Regni Ornani consilia, ni tempestive malo remedium quæeratur, sat periculosa fore edixerat: Unde Rex Ornanum ejusque Fratres unacum Calidabonæo in carcerem conjici jubet, quo comperto Gasto in furias actus, ad Regem provolat, indictæque custodiæ causam sciscitatur, demum minas, ultionemque præcipue in Richelium intentans, illum Floriaci clam ab armata manu intercipi, ac trucidari jubet, ad consilii executionem vocato Chalesio. Tempestive tamen Cardinalis elusit vincula a Valancæo Equite rerum conscio de periculo admonitus. Interim factio eorum, qui propositas nuptias averfabantur, indies augebatur, ipsa etiam Regia

gia Ludovici Conjuge eorum partibus Sæc. XVII.  
A. C. 1626.  
accedente. Igitur Rex, ne mora periculum cresceret, plurimos & præcipue Vindocinenses Fratres, & Chalesium custodiæ dari jubet, quidam vero perduellionis conscii fuga dilabuntur: instructis demum judicii actis nonnulli capite plectuntur, e quibus etiam Chalesius, de intentata prodicione convictus. Hujus vero amici, ut illum vel a morte liberarent, vel saltem ejus vitam prolongarent, carnificem auro corruerunt, ut ipso supplicii die aufugeret: igitur cuidam sartori ad furcam damnato offertur vitæ venia, si Chalesio cervicem rescindere non dubitaret, hic autem feralis hujus ministerii inscius nonnisi repetitis viginti novem ictibus caput reo abscidit, tristi prorsus spectaculo, ac ferali inexpertæ manus rudimento: de cetero Richelius Cardinalis ab eo tempore pluris habebatur a Rege, qui singularem ejus prudentiam in dissipanda hac tempestate expertus, deinceps, se suumque Regnum administrandum ei permisit, frementibus Aulicis, applaudente tamen populo, quem Cardinalis ab immodico tributorum onere sua eloquentia in comitiis Parisinis sublevabat.

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

§. XII.

*Rupella a Regio milite cincta.*

*Lotich. rer. Germ. l. 16. cap. 4. Theatr. Europ. p. 963.* Enimvero Subisus Calvinistarum Princeps nupera clade tantopere terrebatur, ut in Angliam cum paucis navibus adhuc superstitibus aufugiens, Carolum Regem crebris literis fatigaret, quatenus ipsam ceterosque motæ rebellionis socios vel valida classe juvaret, vel Regi Christianissimo conciliare peteretur: attamen hanc submissionem non ex mutato rebellandi animo, sed potius melioris fortunæ desperatione provec̄tam fuisse, luculenter testabatur, ex eo, quod Subisus, quamprimum a Calvinistis Pisonam urbem interceptam, novumque exercitum a Rohano fratre suo contractum compererat, illico Rupellensibus animos addidit, pollicitus, se illis cum navibus Britannicis mox auxilio futurum: Hac spe freti Rupellenses, insuperhabito Regis edicto, violataque promissi fide Subisus partes toto studio tueri nitebantur: unde Ludovicus Rex justa indignatione commotus, Rupellam munimentis cæctius stringere jussit, quo factum, ut cives gravibus incommodis pressi per legatos suos cum Rege transigere tentarent, irrito tamen successu, eoquod  
Hugo-

Hugonotæ demolitioni arcis Ludovicæ Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

pertinacius institissent: Magis prospero conatu Carolus Angliæ Rex, Batavique inter Franciæ Regem & Rupellenses convenere, pactis hisce conditionibus. I. Senatus ac Magistratus Rupellensis denuo ex civibus, prout anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo erat, constitueretur. II. Calvinistæ Rupellenses circa suæ sectæ libertatem illis concessionibus, quæ Fontisbellæque Mense Julio indultæ fuerunt, fruerentur, ea tamen lege, ut omnia ad eam normam ac statum, quo tum erant, reducerent, nec ampliora a Rege peterent. III. Catholicis liberum Religionis suæ usum intra urbem permetterent, eisque bona ablata præcipue Ecclesiastica juxta edictum anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo promulgatum redderent. IV. Tempore belli nullas naves intra urbem intruerent, sed Cadona arce, quam novissime extruxerant, solo æquata, cetero legibus Regni sese componerent, necnon pro adimplendis hisce conditionibus Regium Ministrum in urbem suam reciperent. V. Vicissim vero Rex polliceretur, quod, quamvis Ludovicæ arcem demoliri haud conveniret, ea tamen moderatione usus esset, ut Rupellenses commerciis, legibusque suis

Sæc. XVII. A. C. 1626. suis alias per Regnum sancitis uti, fructus  
que, a Regio milite nullatenus prohiberentur, sed bonis suis tam in Italia  
Rea, quam Olerone libere gauderent.  
Verum Rupellenses a pacis consiliis oppido alienos esse mox patuit, dum  
quadraginta octo illos Syndicos utque  
præcipuos tumultuum incentores officio suo movere iussi, Consulem  
domo sua raptatum eo adigere nitentur, ut Regis mandato obstitere.

## §. XIII.

*Inferior Anglici Regni Curia Catholicis summopere insensa.*

*Rapin. Hist. d' Angl. l. 19. pag. 410.* Quantumvis Carolus I. Angliæ Regis ad utriusque Curia articulis quibus Catholicæ Religionis excidium & Catholicorum exterminium sollicitabant, anno priori fat benigne respicisset, nihilominus inferioris Curia Senatores Regi pecuniarum subsidiorum quorum spe in Catholicorum opprobrium consenserat, ad impendens bellum contra Cæsarem & Hispaniæ Regem erogare detrectabant, nisi prius eorum adversus Catholicos proposita exemptioni daret. Præterea novas Congregationes non modo pro sublevandis populi oneribus, sed etiam pro sectæ negotiis instituerunt. Nondum tamen

his satiata erat sanguinaria Senatorum Sæc. XVII.  
rabies in Catholicos, quos omnes suo A. C. 1626.  
furori immolare, aut saltem e Regno  
expellere, ratum fixumque habebant.  
legitur novis in comitiis, quæ Rex ob  
eorum importunitatem indicere cogebatur, non modo Regem variis molestiis exagitabant, sed insuper iterato libellum supplicem porrigebant, quo Regi, quod promissis suis ad Oxoniensis Senatus libellum contra Catholicos factis fidei constantia defuisset, haud dissimulanter exprobrabant, exponentes, quod Rex quidem ad eorum libellum, in quo causiæ Papistici incrementi, necnon eradicandi hujus mali remedia exposita fuissent, rata habuisset, ac propterea Catholicos recusantes, utpote merito suspectos a publicis officiiis arcere promississet, nihilominus tamen hucusque nihil ad reddendam Ecclesiæ pacem, & Regni securitatem actum fuisset, quapropter Curia inferioris Patres cogentur, iterato Regiæ Majestati exponere, quod instituta inquisitione debita deprehenderint, plurimos aut Papistas, aut Viros merito suspectos in variis Regni Provinciis, & Walliæ Principatu reperiri, qui honorificis officiis decorati essent., His expositis catalogum exhibebant, in quo quinquaginta novem Catho-

Sæc. XVII. Catholici publicis officiis præfeti re-  
 A. C. 1626. censebantur, atque inter eos Buching-  
 hamus Dux, in quem licet esset Regi  
 Cliens in paucis charus, varia accu-  
 tionum capita, atque inter ea etiam  
 Jacobi I. Regis cædem congeslerat.  
 vix alio culpæ argumento, nisi quod  
 ejus Mater Religione Catholica fuerat.  
 Ea ex causa hi Senatores sectæ hæ-  
 fanatismo abrepti, in suo libello  
 plici Regem exorabant, ut ea sapien-  
 tia, bonitate, & pietate, qua ipsi  
 „prævalere scirent, omnia remedia  
 „contra Catholicos proposita non moro-  
 exequi promitteret, sed nulla etiam  
 mora effectui daret, cunctaque man-  
 quibus Catholici mox nominati esse  
 præfeti, eis auferret.

## §. XIV.

*Mansfeldius in prælio ad pontem De-  
 saviensem profligatus.*

*Carafa*  
*comm. de*  
*Germ. Sacra*  
*rest. p. 235.*  
*Brachel.*  
*l. 3. Hist.*  
*Lotich. rer.*  
*Germ. l. 15.*  
*cap. 5.*

Transactione illa apud Brunsvigam  
 inter Cæsareos & Danos in irritum  
 cadente, Christianus Daniæ Rex cum  
 Angliæ, & Sueciæ regibus, Baro-  
 que & Bethlenio, aliisque, firmo  
 fædere arma contra Cæsarem de-  
 parabat, bellumque Catholicis Imp-  
 rii Electoribus denuntiabat, edito hæc  
 in rem scripto, in quo jam usitata Pro-  
 testac

testantibus Phrasi exposuit, quod bel- Sæc. XVII.  
 licus hic apparatus nil nisi pacis Reli- A. C. 1626.  
 giosæ, secularisque jurisdictionis exerci-  
 tium spectaret, nunquam vero sibi in men-  
 tem venisset, Catholicos Principes, Ordinesque infestare aut opprimere. Quantum  
 vero externa hæc declaratio ab animi  
 sui proposito aliena fuerit, testaban-  
 tur inferioris Saxoniae Principes Dano  
 foederati, qui evulgato diplomate omnes  
 suos subditos, si sub Cæsaris aliorumque  
 Principum Catholicorum signis militarent,  
 indictis severissimis pœnis evocarunt,  
 eo quod Catholici exercitium Confessionis  
 Augustanæ a fundamentis excindere, ac  
 cænobia & Præsulatus Saxonicæ Circulo  
 eripere attentarent: simul tamen obtestabantur  
 hi Protestantes, quod nil aliud nisi patriæ,  
 ac imprimis Religionis agnitæ defensionem  
 quærant, & Cæsari quoad res sæculares  
 adhuc omnem subjectionem atque obedientiam  
 necnon ceteris Electoribus & Principibus  
 amicitiam promittant. Ita nempe hi uno  
 halitu obedientiam Cæsari promittere, & ejusdem  
 jussis refragari didicerant. Verum Tillius  
 horum dolos probe cognoscens, opposito  
 scripto eisdem exprobat, quod nullus ex  
 Augustanæ Confessionis Pastoribus vere  
 asserere valeat, a Cæsare ejusque copiis  
 illos in rebus ad eorum sectam spectantibus  
 toto hujus bellâ



Sæc. XVII. belli decursu fuisse turbatos: Cæsarem in Saxonie Circulum suos milites

A. C. 1626. non prius introduxerit, nisi dum manifesta læsionis & periculorum machinationum indicia, spretis ejusdem hortationibus præmicare cœpissent, & que ipsi sub specioso defendendæ libertatis Germanicæ obtentu absolutum dominatum introducere, & pessumtis Imperii legibus Præiulatus, Cæcæbia, & Provincias sibi subjicere moti essent, suoque fœdere cum Batavis, Anglis, proscriptisque Imperii libris adversus Cæsarem sancito, Germanicæ libertati & Imperio, cujus indices se jactitant, excidium accersissent. Dein eisdem obtrudebat Tillæ quod falso Augustanæ Confessionis defendendæ scutum opponant, cum Angli, Batavique, quos sibi fœdere paxerant, hanc sectam tanto in odio haberent, ut nullum illius exercituum quidem inter eorum fines tolerarent, ac ipsimet Luneburgicos Duces, principium Saxonie Circulum, Osnabrugensem Episcopatum, & Goslarie unice ideo, quia a Cæsaris obsequio recedere noluerint, oppressissent. Attenus utrinque calamo decertatum, tandem vero Daniæ Rex Cæsaris vires ut statuerat, accidere, sectamque eorum morum terroribus propagare, eamque

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

non tam docere, quam cogere inten-  
tus, exercitum suum sexaginta milli-  
bus validum in tria partiebatur agmi-  
na, quorum primum Christianus Hal-  
berstadiensis Pseudo - Episcopus rege-  
bat, Osnabrugensem, Hildesheimensem  
& Mindanum Episcopatus infestare ius-  
sus. Alterum ducebat apud Albim flu-  
vium Mansfeldius, qui Wallensteinio  
ex tota ditione Magdeburgensi detur-  
bato in Silesiam irrupere, ac Beth-  
lenii suppetiis sese jungere jubebatur.  
Tertio demum agmini apud Visurgum  
præerat Daniæ Rex: Expeditioni ini-  
tium fecerat Mansfeldius, qui inter-  
ceptis in itinere Havelberga, & Ser-  
vesta urbibus in Silesiam penetrabat,  
ac die prima Aprilis Dessaviensem pon-  
tem a Cæsareis munitum iterato ag-  
gressus, strenue repellebatur: nihilo-  
minus explosis sexcentis tormentorum  
ictibus ipso Paschatis die hoc muni-  
mentum rursus toto impetu oppugna-  
vit, ejusdem conatus Joanne Altrin-  
gero Tribuno mascula vi retundente.  
Hæc cum Wallensteinus intelligeret,  
cunctas copias ductore Schlickio Co-  
mite ad munimentum contraxit, ac  
die vigesima quinta ejusdem Mensis  
pontem, ut exercitus sui numerum vi-  
resque Mansfeldio celaret, explicatis  
tentoriis obtegi jussit. Eadem die Mans-  
feldius

Sæc. XVII. feldius cum omnibus copiis pontem ag-  
A. C. 1626. greditur, Wallensteinius vero summo  
 mane, Mansfeldio nil tale metuente,  
 munitionem ponti præstructam egres-  
 sus, instructa acie Mansfeldianos ad-  
 ritur, eosque pedem referre compellit.  
 accurrit cum recenti milite Mansfel-  
 dius, turbatos ordines restaurare inter-  
 tus: at prævalente Cæsareorum forti-  
 tudine hostilis Equitatus unacum Mans-  
 feldio in fugam versus pedestres copias  
 victori in prædam reliquit; Wallenstei-  
 nius ergo hac vincendi occasione stre-  
 nue usus, cum omni exercitu in hostem  
 invehitur, cæsisque tribus millibus  
 ceteros in fugam agit: Capta fuere im-  
 pedimenta omnia, belli tormenta ses-  
 unacum pedestribus signis triginta qua-  
 tuor, & tribus Equitum vexillis, quæ  
 Wallensteinius per Baronem Queftra-  
 bergium Cæsari obtulit. Ex Mansfel-  
 dianis Tribunis cæsi sunt viginti tres,  
 captique quamplurimi, quos inter præ-  
 cipui erant Verentius, Neuhofius, Col-  
 lius, Kniphusius, duoque Proceres Bo-  
 hemi Michalovitius & Chudcovallius,  
 qui antea Cæsaris partes perfide dele-  
 ruerant. Denique Mansfeldius cum  
 maxima Equitum parte in Marchionem  
 Brandeburgicum concessit, adju-  
 ctisque sibi Magdeburgensis Admini-  
 stratoris, Vinariensis Ducis aliorumque  
 copias

copiis populabundus in Silesiam profugit, jam Wallensteinio viribus haud impar. Adeo tum in rebellionem proclives, & in Cæsaris, Catholicorumque oppressionem incensi erant Protestantium animi, ut vix posteritati fidem facere videatur, tot millibus eorum cæsis, majores copias illico esse reparatas, lixis atque calonibus certatim confluentibus ad Mansfeldii signa, qui tamen fractas Palatini res erecturus negotium hoc bellica primum arte direxit, dolo promovit, cruentis consiliis moderatus est, & tandem infami morte expedit.

## §. XV.

*Christianus Daniæ Rex apud Lutheram a Tilio cæsus.*

Parta hac victoria Wallensteinus recuperata Selvesta Mansfeldium in Hungariæ Regnum penetrantem insequabatur, Daniæ vero Rex, postquam Georgium Luneburgicum Ducem a rebellium factione ad Cæsaris obsequium transisse compererat, Ernestum Vinarientem Ducem cum valido agmine in Osnabrugensem Episcopatum emisit, qui Widenburgo, Rederado, & Springa urbibus captis, Sanctimonialium cænobiorum, Ecclesiasticorum, civiumque ædes fu-

*Annal. Boic.  
Adlzreit.  
tom. 3. p. 3.  
lib. II.  
Lotich, l. c.*

*Hist. Eccles. Tom. LVIII. D d ri*

**Sæc. XVII.** ribundo militi diripiendas permittit, Cle-  
A. C. 1626. ricos & Proceres Cæsari fidos, ingenti  
 postea ære redimendos in captivitatem  
 abstraxit, severisque exactioibus ex-  
 haufit, eademque inhumanitate in Mo-  
 nasterienses desæviens, omnes copias  
 suas apud Guelpherbytum contraxit.  
 Tillius vero, cum Mauritium Hassæ  
 Landgravium hostilia meditari conspiceret,  
 e Paderbornensi ditone in Hassæ  
 fos movens, Hirsfelda occupata Roten-  
 burgi stativa tenuit, promotisque postea  
 ea castris Mindensem urbem ad Vilsu-  
 gis ostium sitam expugnavit, tanta re-  
 sistentium strage, ut ex bis mille quin-  
 gentis qua civibus qua militibus no-  
 nisi viginti vita superstites essent, et  
 quod præfidiarii violato gentium iura  
 Tillianos Legatos læsissent, ac impo-  
 denti protervia Cæsareos convitiis op-  
 pressissent: Demum Tillius continuata  
 victoriarum cursu Gottingam deditione  
 cepit, quam urbem obsidione liberato-  
 rus Daniæ Rex, expugnationis infensæ  
 Calenbergam invasit, quo cognito Tillius  
 lius, dum Northeimium adhuc obsecra-  
 rat, Comitem Fürstenbergium cum  
 quot legionibus emisit, qui tanto im-  
 petu in Danos irrupit, ut mox eorum  
 ordines perrumperet, ac paulopost  
 omnes in fugam ageret, cæso Frey-  
 gio Tribuno, sex Præfectis, & octo-  
 gen

gentis gregariis militibus. Hac clade Sæc. XVII.  
 territus Rex apud Guilielmum Neo- A.C. 1626.  
 burgi Ducem bellicæ expeditionis suæ  
 causam exponere, Cæsaremque super  
 pacis transactione interpellare niteba-  
 tur: verum dolosis ejusmodi artibus  
 per Isabellam Belgii Gubernatricem e-  
 lulis, Rex Northemio obsidione libe-  
 rato, Eisfeldiam, aliasque ditiones  
 Cæsari fidas, ac demum Brunvicen-  
 sem Ducatum invasit, in Ligarianorum  
 Provincias progressurus. Verum Til-  
 lius presse ejus vestigia secutus, con-  
 tracto omni exercitu, ne Rex ulterius  
 progredereetur, inhibuit; unde Danus  
 fugienti similis, ad Reesensem vicum,  
 postea ad montes Barenbergenses re-  
 cessit, ac demum prope Lutheram con-  
 tinuis velitationibus infestatus, die vi-  
 gesima quinta Augusti substitit. In-  
 struuntur utrinque acies, resque ad  
 prælii necessitatem deducitur, ac vige-  
 sima octava die ejusdem Mensis ingen-  
 tibus animis, masculisque ausibus di-  
 micatur, Danis victoriæ auspicia jam-  
 jam delibantibus; Bavari enim irruen-  
 te hostili equitatu bis loco pulsi, pene  
 tormenta, omnemque victoriæ spem  
 amisissent, nisi Tillius a necessitate ani-  
 mum, viresque mutuatus, sermone &  
 exemplo fugitivos ad pugnam revo-  
 casset, restauratisque ordinibus in Danos

D d 2

tanto

Sæc. XVII. tanto impetu, tantoque infuetæ fugæ  
 A.C. 1626. ignominiam dispungendæ ardore re-  
 duxisset, ut laxatis equestribus ordi-  
 nibus Danicæ peditum legiones statio-  
 nem sibi creditam rupto agmine dele-  
 rerent, abjectisque indecore armis e-  
 ques, pedesque sine Duce consuli me-  
 tuoque dissipati, qua cuique patebat ad  
 fugam via, erumperent, relictis otto-  
 ginta sex vexillis, ac viginti duobus  
 belli tormentis: Cæsa sunt Danorum  
 plusquam quatuor millia, atque ex illis  
 Philippus Hassiæ Landgravins, Fuch-  
 sius Generalis, Nejabus, Peuzius, &  
 Parizius: Expeditatu ferme omnes aut  
 capti ac cæsi, præter triginta cohe-  
 tes, quæ ex pugna fugitiuæ promissa  
 vitæ gratia, sese victorum arbitrio reli-  
 quere: Nec absque omine hæc victo-  
 ria a Cæsaris hoste eadem die, quæ  
 olim Ferdinandus creabatur Impera-  
 tor, reportata est, & quidem de Chris-  
 tiano *Lutheranæ* Confessionis vindictam  
 in eo pago, qui solus in toto Christiano  
 orbe *Lutheri* nomine fœdatus noscitur.  
 Ceterum accepta hac clade Danicæ Re-  
 Guelpherbytum, dein trans Albim  
 recepit, ut collectis profligati exerci-  
 tus sui reliquiis novos faceret delectos,  
 fœderatosque suos ad vindictam in Cæ-  
 sare incitaret. Eapropter pro obtine-  
 dis belli subsidiis in Holsatia Ordini

num conventum habuit, suosque Le- <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 gatos in Hollandiam, Angliam & Gal- <sup>Sæc. 1626.</sup>  
 lias ablegavit, inglorio tamen postre-  
 mi sui conatus successu: vicissim vero  
 Brunsvicensis & Luneburgensis Duces  
 Cæsaris gratiam pacifici festinabant, pa-  
 riterque Elector Brandenburgicus agnito  
 Maximiliani Bavari Electoratu Cæsareis  
 copiis transitum & annonam per suas di-  
 ctiones promisit, quod idem etiam pol-  
 licitus est Bogeslaus Pomeraniæ Dux.

## §. XVI.

*Literæ gratulatoriæ Urbani VIII.  
 Pontificis Maximi ad Tullium  
 Belliducem.*

Hujus victoriæ fama Romam pervo-  
 lante, Urbanus VIII. Pontifex Ma-  
 ximus eandem Tullio Bavarici exerci-  
 tus Belliduci gratulabatur transmissis  
 hoc diplomate Apostolico: *Dilecte Fili  
 Nobilis vir, salutem & Apostolicam bene-  
 dictionem. Benedictus Dominus, qui do-  
 cet manus tuas ad prælium, & digitos  
 tuos ad bellum. His verbis alloqui decet  
 nobilitatem tuam, quæ veræ militiæ leges  
 esse testatur divina mandata, in timore Do-  
 mini constituens laudem fortitudinis, qui  
 has bellandi artes callet, eas victorias con-  
 sequitur, quas tibi solemne est de hæretico-  
 rum perfidia reportare, quare, Cæsarea*  
 Dd 3 castra



Sæc. XVII. castra non solum fortitudinis arcem, sed etiam pietatis templum fieri dicuntur tota

A. C. 1626.

Religiosi Ducis exemplo. Harum laudum commemoratione, Nobilitatis tuæ triumphis plaudit Ecclesia Romana, trucidatas nuper Danicas legiones, erepta vexilla, militantis Regis fugam, nationes omnes in urbe loquuntur tanquam Comitis Tullii beneficia, tantæ victoriæ decus Nos tibi gratulamur, atque hoc Pontificiæ lætitiæ monumentum inter virtutis tuæ trophæa extare volumus. Sane Apostolicæ clementiæ testimoniis frui par est Nobilitatem tuam, quæ, metus in gaudium & pericula in victorias convertens, periculis Religionis atque imperio securitatem præstitit. Nostra autem solatia non melius criter auget fortitudinis tuæ constantiam, quæ non solum conscium suæ infelicitatis hostem invitum pugnare coegit, sed etiam dissipatum insequitur, adhuc oppressas legiones invitant victores gladios ad hauriendum reliquum impietatis sanguinem. Eja igitur dilecte Fili, in hæresis excidium Deum Ducem & tuam virtutem sequere. Sciat tantis cladibus superius Rex Danus, se post turpem fugam, nobilioribus Cæsaris triumphis, & digniorum propriarum miseriarum spectaculo servare, & iniquitatis comitem fore semper infelicitatem. Nos tantum decus triumphatori exercitui, tantumque beneficium Religionis

gioni Catholicæ assiduis precibus compa- Sæc. XVII.  
rare studemus, ac Nobilitati tuæ Apo- A. C. 1626.  
stolicam Benedictionem peramanter imper-  
timur. Datum Romæ apud Sanctam Ma-  
riam Majorem, sub annulo Piscatoris,  
die vigesima sexta Septembris, anno mil-  
lesimo sexcentesimo sexto Pontificatus nostri  
anno tertio.

## §. XVII.

*Protestantium rusticorum seditio in Austria.*

Haud segniter interim Tillius parta Lotich. rer.  
victoria usus, recuperatis plurimis Germ. l. 15.  
urbibus Ulricum Brunvicensem, & cap. 1.  
Christianum Luneburgicum Duces una- Theatr. Eu-  
cum Equestri Calenbergensium & Guel- rop. p. 931.  
pherbytanorum Ordine ad Cæsaris ob- Jäger. Hist.  
sequium revocavit: nec tamen inde a- Eccl. p. 427.  
nimo fractus Daniæ Rex, extremo co- Meter. Hist.  
nato Hojam arcem expugnavit, haud Belg. p. 508.  
incruenta licet gloria; ipse enim, ejus- Adlzreit.  
que Filius vulnerati recesserant: ut ve- l. c. p. 151.  
ro dolorem aliena cæde aliquantulum  
temperaret, capta Allera arce Centu-  
riones Bavaros armis, vestibisque exui,  
gregarios vero milites partim trucidari,  
partim ad defectionem cogi jussit. Hæc  
cum in Saxonia inferiore agerentur,  
rustici in Austria Superiore ad Anassum  
novos denuo concitarunt tumultus, in

Sæc. XVII. Ferdinandum Cæsarem, & Maximilianum Bavariæ Electorem conspirantes, eoquod iste promulgato edicto Præcones Lutheranos, & scholarum Præfectos patria cedere jussisset, hic vero præfatae Regionis Præfectus rusticos pecuniarum exactionibus, uti spargebant, nimium gravasset. Accusabant insuper Sacerdotum & Aedituorum avaritiam, perinde ac si funerum sumptus inique exigent: Addebant quoque commenta, eaque vanissima de nonnullis in suæ sectæ odium capitali supplicio affectis, de possessionibus ejectionum Protestantium sub infimo pretio divenditis, necnon de tota Provincia mensuris militum exactionibus exhausta. His igitur malis remedium postulant Prædicantes revocari, conscientiarum sectæque libertatem restitui, militumque Cæsareo confestim dimisso, ac concessa motæ rebellionis venia a pœnis immunes declarari petebant. Audiebantur primo secretæ ejusmodi querelæ in pœnis, sensim vero rustica hæc comparatio per vicos ac municipia libera est propagata, Prædicantibus Lutheranis, qui passim latitabant, feditio ignem apud suos egregie sufflammentibus. Suggerebant enim rusticorum animis jamjam incensis, iniquum esse Cæsaris edictum, quo præter bonorum

URB  
jact  
vis  
rum  
scri  
bit  
cop  
mor  
rio  
arn  
li  
Ch  
Pri  
ges  
ne  
stol  
for  
ver  
Pa  
gl  
pro  
tax  
ruf  
Cæ  
tar  
&  
in  
qu  
de  
H  
ac  
qu  
m

jacturam eorum quoque conscientias Sæc. XVII. A. C. 1626.  
 vis inferretur, cum tamen nec Turca-  
 ram Imperator credendi modum præ-  
 scriberet, sed cunctis Deum pro suo ar-  
 bitrio colendi libertatem, ac Præconum  
 copiam concederet. Hujusmodi ser-  
 monibus perniciosi hi Cinifiones sub spu-  
 rio tuendæ religionis Zelo vulgus ad  
 arma stimulabant, nova sane Evange-  
 lii disciplina: num forte veram etiam  
 Christi Religionem contra Paganorum  
 Principum insultus, concitata in Re-  
 ges, Principes & Magistratus rebello-  
 ne esse tuendam propagandamque, Apo-  
 stoli, eorumque Successores docuere?  
 forte in hæreticos Catholicam fidem e-  
 vertentes spirituale gladium stringere  
 Pastoribus illicitum, arma autem &  
 gladios in legitimorum Regum pectus  
 pro tuenda secta impetere, subditis dun-  
 taxat licitum est? Porro rebelles hi  
 rustici iniqua sua postulata scriptotenus  
 Cæsari porrigere præsumpserunt. Hic  
 tamen nihil, quam ipsorum salutem,  
 & commoda quærere professus, ne sibi  
 in suis Provinciis minus auctoritatis,  
 quam cuilibet Principi competere cre-  
 deretur, edicto suo immotus institit.  
 Hoc responso haud contenti rebelles,  
 ad arma conclamant, ac Provincia in  
 quatuor circulos divisa, decem suorum  
 millia campanarum pulsu in conspira-  
 tio-

Sæc. XVII. tionis societatem contrahunt, suisque  
 A. C. 1626. uxoribus, ut pretiosa quæque unacum  
 suis liberis ad munitiora loca compon-  
 tent, præcipiunt.

## §. XVIII.

*Cæsarei a rusticis prælio devicti.*

*Carafa  
 comm. Germ.  
 pag. 253.  
 Brach. Hist.  
 l. 3. p. 111.*

Postquam ferme sexaginta tumultuo-  
 rum millia, aucto rebellandi studio  
 ex universa superiore Austria & finiti-  
 mis Bohemiæ locis convenerant, pal-  
 farculis, fustibus, hastis, bipennis,  
 aliisque agrestibus armis, ac quidam  
 etiam sclopetis, gladiisque instructi,  
 in præstituto loco delectum habuerunt,  
 suæque seditiosæ expeditioni initium  
 fecere a sævitia in Sacerdotes Catho-  
 licos, a libidinosa petulantia in Sante-  
 moniales, incendiorum grassatione in  
 villas & pagos, ac denique ab inhumane-  
 nitate in Procures & Catholicos in  
 conspirationi adversos, quorum non  
 paucos in vincula, plures in mortem de-  
 derunt. Postmodum ipsa jam suorum  
 multitudine tumidi, arces obvias re-  
 vaserunt, injectoque igne concrema-  
 runt, Præfectisque in captivitate ab-  
 stractis, armisque undique collectis  
 los agrestes, qui Passavii vicinia re-  
 colunt, ad parem rebellionem prove-  
 carunt, imo etiam Nobiles quosdam ad  
 arma

arma contra legitimum suum Princi- Sæc. XVII.  
 pem, patriamque sumenda vi addege- A. C. 1626.  
 runt: Crescente eorum numero & au-  
 dacia Herberstorffius Comes hujus Pro-  
 vinciae Præfectus, cum armorum in-  
 expertam imbellemque turbam solo ter-  
 rore dissipare crederet, adjuncto sibi  
 carnifice cum exigua peditum, equi-  
 tumque manu e Linciensi urbe egressus  
 rebelles colonos insequabatur. Verum  
 militari more in acie dispositos, pu-  
 gnæque avidos repererat, nec illis de-  
 erant militaris rei periti, qui Ordines  
 ducerent. Venitur ergo ad manus,  
 dimicatur aliquamdiu ancipiti Marte,  
 tandem vero ex insidiis prorumpentes  
 rustici Equitatum Herberstorffianum toto  
 impetu adoriuntur, plerosque truci-  
 dant, ipsumque Comitem cum Croatis  
 aliquot, & quadringentis peditibus in  
 urbem repellunt. Hac victoria rustici  
 eleratiores effecti, vicinas urbes illico  
 invaserunt, ac præcipue Anisiam, cu-  
 jus præsidiariis dolose deditiois leges  
 præscripserant, durante tamen trans-  
 actione per summam perfidiam urbem  
 vi occuparunt, denique in prædas &  
 spolia effusi, multas Nobilium arces  
 diripuerunt, Catholicorum maxime  
 ædibus, bonisque ignem injecerunt, &  
 plura Monasteria ac præcipue nobilem  
 & opulentam Cremifanensem Abba-  
 tiam,

Sæc. XVII. tiam, deprædati sunt, Catholicis pas-  
 A. C. 1626. sim indignissime vexatis, vitamque pec-  
 cunia aut pignore redimere coactis. Re-  
 percepta Cæsar clementia potius, quam  
 effuso subditorum sanguine obsequi  
 memoriam seditiosis refricare intentus,  
 Legatos unacum literis ad eos decre-  
 vit, promissa rebellionis impunitate,  
 si arma ponerent, & tumultus Autho-  
 res Magistratui dederent: Verum hi  
 imperata facturos negant, & tanquam  
 parum in hoc committerent insolentia,  
 cum deteriora possent, & auderent,  
 eadem die Cæsar Legatos, ac inter  
 illos præcipue Ignatium Abbatem Val-  
 lis Liliorum oblidum loco detinuerunt  
 captosque Stiram abduxerunt. Demum  
 in militiæ Ducem sibi selegere Stephe-  
 num Feidingherum opificio Pilearum  
 qui in Cremisfanensi Abbacia subsistens  
 ibidem velut in prætoria Curia rem mi-  
 litarem administrabat, & cubicula que-  
 dam Cæsar Mathiæ hospitio destinata  
 inhabitans, se jam Cæsarem arbitri  
 batur, id se decere, gloriatus. Hoc  
 auctore rebelles Lutherani Herberstori-  
 fium sibi tradi petebant, multisque  
 belli tormentis, quæ ex direptis Nobili-  
 lium arcibus abstulerant, Lincienti  
 admotis, mænia quaterere cæperunt, in-  
 tentata bis impressione repulsi sunt de-  
 sideratis suorum septingentis, quorum  
 cladem

cladem ulturi, civitatis suburbana in-  
 cenderunt, & quamvis a Lebelio Cæ-  
 saris Tribuno non sine magna clade rur-  
 sus retrocedere compellerentur, nihilo-  
 minus Freistadio in Bohemiæ finibus  
 potiti, atque in loca sacra & Catholi-  
 cos fœdis manibus grassati, tandem die  
 vigesima nona Julii urbis oppugnatio-  
 nem majore quam antea ferocia instau-  
 rarunt, necnon patente muri ruina im-  
 pressionem fecere, ferali prorsus suc-  
 cessu; cum enim confertim ac temere,  
 sine ordine & modo irruerent, & post-  
 remi primos insana vi propellerent,  
 priores ab obsessis trucidati, & poste-  
 riores per abrupta murorum præcipi-  
 tes acti sunt, semper ab oppidanis cum  
 clade repulsi, amisso insuper eorum  
 Duce Feidinghero, in cujus locum  
 Achatium Willingerium opificio Suto-  
 rem, audacissimum ac turbulentum Vi-  
 rum subrogarunt.

## §. XIX.

*Rustici a Papenheimio fusi, ac dis-*  
*spati.*

Iterata hac clade ac multiplici socio-  
 rum cæde rustici ad ultimum furo-  
 rem & conatum efferati, urbis fossas  
 farmentis, lignorum fascibus & vimi-  
 nibus prope æquabant, iteratam ten-  
 taturi

*Blanc Hist.*  
*de Bavier.*  
*t. 4. p. 232.*  
*Meteran.*  
*Hist. Belg.*  
*l. 46. p. 509.*



Sæc. XVII. taturi impressionem: verum hac ipsi  
 A. C. 1626. sua nocendi industria sibi mortem ac

*Priorat.*

*Hist. Ferd. II.*

*l. 4. p. 175.*

celerabant; Herberstorffius enim in  
 hanc struem horrendum missilium te-  
 darum grandinem detonans, plusquam  
 quingentos ex sectaria hac rusticorum  
 colluvie velut in rogo suis delictis ac-  
 to combussit: unde ceteri urbem  
 quam per obfirmatam armorum vim  
 expugnatos desperabant, saltem ad  
 deditionem famis violentia compellen-  
 tentabant, hunc in finem Danubium  
 catena ex utroque litore nexa clauden-  
 tes, occupatis viarum angustiis obli-  
 fos frumento, omnique com meatu  
 terclusere, atque ad restaurandam  
 fidionem pulveris nitrati, globorum  
 que, quibus egebant, copiam sibi  
 vehi satagerunt, instructis hanc in  
 quinque navibus, quas tamen Cæsar  
 in insidiis latentes concremarunt, na-  
 tis, rusticisque aut cælis aut in undis  
 protrusis. Nihilo tamen secius die se-  
 cunda Augusti Cæsaream Styrae arcem  
 Parochialem Ecclesiam, Dominicanorum  
 & Capucinatorum Cænobia destrux-  
 xere, codicillis, libris ac documentis  
 fæde laceratis, Agebatur biduo post  
 Molecæ de pace componenda, pax  
 interea induciis, cum autem Lub-  
 rani liberum Confessionis Augustanae  
 exercitium pertinacius peterent, re-  
 facta

facta discessum est, ac redeunte intra Sæc. XVII.  
 præcordia temeritate rustici ineunte A. C. 1626.  
 Mense Septembri novam in Lincienses  
 impressionem fecere, cæsis suorum ter  
 mille, captisque quamplurimis, quo-  
 rum tamen mortem profligata legione,  
 quam Adolphus Holsatiæ Dux in Cæ-  
 sariis opem adduxerat, ulsi sunt; pari  
 etiam successu Bavaricas Linteloi &  
 Hubneri copias, postquam die vigesima  
 prima Septembris aliquas rusticorum  
 centurias obriverant, postera die edi-  
 ta magna strage in fugam egerunt. In-  
 de Ischalaviam in Bohemiam effusi,  
 solemnem isthic mercatum diripuerunt,  
 ac Schlegeliense, & Willingenfæ Cæ-  
 nobia exusserunt, trucidatis plusquam  
 ducentis Catholicis. Ex secundo re-  
 rum successu, cum crevisset furor &  
 audacia rebellium, Herberstorffius be-  
 neficiis & clementia multos ad Cæsa-  
 ris obsequium, & solvendam urbis ob-  
 fidionem pertraxit, pertinaces vero  
 Maximilianus Bavarizæ Elector majore  
 armorum vi comprimere statuit, idque  
 negotii Godefrido Henrico Papenhei-  
 mio Comiti dedit, qui cum sex arma-  
 torum millibus, per insolitam itineris  
 celeritatem, delusa rusticorum solertia  
 Linzium ingressus, sese Cæsareis junxit,  
 ac die nona Novembris rusticos, qui  
 Efferdingæ castra sylvis tecta infede-  
 rant,

Sæc. XVII. rant, incompósitos aggressus, haud pa-  
 A. C. 1626. ciores, quam duo millia trucidavit, in-  
 terempto etiam Willingerio eorum  
 Ductore: unde accepta hac clade ir-  
 ritati rebelles aciem dexteram Bava-  
 rorum alam explicantes, in Lobellio-  
 nos Equites incredibili furore inve-  
 huntur, magna tamen clade post acer-  
 certamen fusi, fugatique. Demum  
 continuata successus felicitate Cæsar  
 illos, qui in sylva resisterant, debelli-  
 runt, plurimosque in arbores enas-  
 glandibus velut corvos, in imum de-  
 cusserunt. Natabat autem Papenheimii  
 agmen, jamque ralticorum impetu  
 fractum retrocessisset, nisi ipsemet Pa-  
 penheimius laboranti Buttbergio in-  
 prepe accurrens, inclinatum aciem qua  
 prece qua minis restitisset: unde re-  
 dintegrata pugnandi, vincendique ar-  
 ditate Bavarum tam invicta virtute  
 rebelles invehebantur, ut cæsis eorum  
 tribus millibus ceteros in fugam age-  
 rent, ac fugitivos insecuti, Efferdinga  
 & Gemunda depellerent. Hi vero  
 qui ex clade superfuerant, cujusdam  
 Prædicantis filium audacia & temeritate  
 nulli secundum sibi Ductorem præ-  
 fecere, ejusque hortatu. necnon aliorum  
 cujusdam Prædicantis sermone ad præ-  
 lium magna fiducia capessendum inco-  
 tati post pertinax certamen Cæsares  
 fuga-

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

fugarunt, Bavarosque ad ducentos ferme passus retrocedere coegerunt: Reparatis tamen ordinibus collectisque ex fuga copiis Papenheimius rusticos victoria tumidos pugna ad quatuor horas protracta, tandem internecone delavit, cæsis plusquam quatuor millibus, ceteris per sylvarum, montium, valliumque avia, devia dispersis. Postea die vigesima nona Novembris rursus Veclaburgi, ac sequenti die Wolfceccæ prælio devicti, amissis septem belli tormentis, cæsisque aliquot rebellium millibus, atque inter eos duobus seditionis Authoribus, sese Cæsaris victoris clementiæ dedere coacti sunt. Pauci vel rapinarum consuetudine, vel conscientia scelerum, veniam desperantes, per Moraviam & Silesiam vagi se Danicis, aut Hungaricis copiis adjunxere. Ne vero rustici suorum Præconum susurris incitati, rursus in cætus & bella coirent, Papenheimius destructis eorum propugnaculis, diffractaque Danubii catena exercitum per municipia, vicosque hibernatum emisit, ac prævalente Cæsaris clementia duntaxat octo Rebellionis suasores auctoresque, ex quibus septem ad fidem Catholicam reversi sunt, partim ferro, partim resti

Carafa  
Germ. rest.  
pag. 278.

Hist. Eccles. Tom. LVIII. Ee una-

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

unacum quodam Prædicante, qui rudes hos homines suis declamationibus ad seditionem acrius instigabat, plebs jussit, oppidis vero, quæ ultro hos seditiones exceperant, sua privilegia Cæsar ademit, reliquam vero multitudinem ad sua redire permisit. Ita demum pacata Austria superiore, Cæsar fatali experimento didicerat, quam periculosa & noxia sit indulgentia ejusmodi sectæ, cujus Ministri assæctis suis nil nisi fanaticum, spuriumque Zelum instillant, illius vero Sectatores ita ad eis fascinati imbibito in Catholicos Monarchas odio nil nisi seditiones & turbas in legitimos suos Reges, Principes & Magistratus excoquant, eo illos impellente decantata ipsorum conscientia libertate, quam omnium suarum rebellionum, crudelitatum, ac caedum causam atque obtentum jactitant, quæque ad Regicidia, Regumque exauditiones, & subditorum a Principum obsequio defectiones proximius inducit, quam damnata doctrina de Tyrannicidio, præcipue cum eorum Præcones, qui se in suo ministerio a præsentia Principum potestate omnino independentes esse dicunt, palam doctæ præsumant, quod Princeps ab eis excommunicari valeat, quando quid in

Lutheranæ sectæ præjudicium facere, Sæc. XVII.  
aut Papismo favere præsumeret (\*). A. C. 1626.

## §. XX.

*Novâ Bethlenii seditio in Cæsarem.*

Nondum biennii spatium ab inita pace *Orthel. cont. pag. 110.*  
effluxerat, cum jamjam Bethlenius *Vid. supra l. 195. §. 5.*  
Gaborius, Vir quietis impatiens, &  
nullius apud hominem, uti apud Deum  
fidei, novam, tertiamque adversus Cæ-  
sarem concitaret conspiracyem; quip-  
pe non modo per Legatos suos pecu-  
niæ militumque subsidia a Cæsaris ho-  
stibus petiit, Turcisque Novigradum  
obsidentibus suam addixit opem, sed  
insuper Mansfeldio, & Joanni Er-  
nesto Vinariensi Duci in Hungariam ex  
composito irrupentibus suas adjunxit *Piasec. p. 252. Pufend. l. 1. sect. 48. Kevenhiller t. 10. p. 1242.*  
legiones: Postmodum die prima Octo-  
bris cum universo exercitu suo Casso-  
viam profectus, de juvando Mansfeldio  
ex sententia Ordinum ejusdem Provin-  
ciæ egit. Obstare nitebatur eorum  
consiliis Wallensteinus Fridlandiæ Dux,  
qui cum suis copiis trajecto Vago amne  
Mansfeldium ad prælium adigere ten-  
tabat,

E e 2

(\*) Vide Christiani Thomasi Bedenken  
über die Frage: wie weit ein Prediger gegen  
seinen Landesherrn sich des Bindschlüssels bedie-  
nen könne? pag. 4. & seqq.

Sæc. XVII. tabat, cum vero non modo Polonæus  
 A. C. 1626. Istufanius Protestantium copias quater  
 mille Equitibus, sed etiam Budenis  
 Bassa multis Turcarum millibus auxili-  
 sent, dudum uterque exercitus in aciem  
 dispositus otiose substitit, non alio ex-  
 peditionis emolumento, nisi quod in-  
 terea Wallensteinius Turcas ad solven-  
 dam Novigradi obsidionem compulerit,  
 ac Danubio per pontem juncto eisdem  
 Vatziam eripuerit. Paulopost Mans-  
 feldius prope Pofonium Cæsareos in-  
 opina vi obruit, atque octo Leodiæ-  
 sum centurias fudit, fugavitque, capti  
 etiam Henrico Schlickio Comite Wal-  
 lensteini Tribuno: sub idem tempus  
 Turcæ Transylvanis permixti, Meroni  
 Comitis Equitatum adorsi sunt, atque  
 una omnes, nisi quos præceps fuga ab-  
 stulerat, jugularunt: Dudum mutuis  
 actum velitationibus, ingruente autem  
 asperrimæ hyemis violentia non jam  
 cum hoste, sed cum fame, frigore,  
 rerum omnium inopia, & contagio-  
 lue conflictandum erat; quamplurimi  
 enim utriusque exercitus Præfeci, mi-  
 litesque gregarii, quibus ferrum, plus  
 bumque pepercerant, singulis diebus  
 impune periere, ipsaque Martis castra  
 in mortuorum cæmeteria, necnon in  
 ægrorum nosocomia transmigrasse ve-  
 debantur, Turcæ quoque his malis  
 fracti,

fracti, a Vezirio intentatis etiam minis Sæc. XVII.  
 missionem petebant, qua non obtenta, A. C. 1626.  
 Vezirium interfecto ejus Satellitio ad  
 Bethlenium auffugere compulerunt,  
 quo in opem accurrente, ac novende-  
 cim seditionis auctoribus jugulatis fu-  
 ror sedatus est: Bethlenius tamen co-  
 pias suas in hiberna reducere cogebatur.

## §. XXI.

*Induciæ inter Cæsarem & Bethle-  
nium sancitæ.*

Cum igitur Mansfeldius exercitum  
 suum morbis ac calamitatibus pene  
 consumptum cerneret, ac Transylva-  
 nos promissa Cæsaris venia pellectos in  
 Hungariam reverti, Turcasque passim  
 dilabi intelligeret, ipse etiam latronum  
 suorum reliquiis Bethlenio relicto, per  
 Byzantium & Venetias Turcarum man-  
 datis instructus in Britanniam proficisci  
 statuit, ut apud Angliæ Regem novas  
 adversus Cæsarem turbas concitaret.  
 Verum morte præventus, perversa con-  
 silia exequi haud valuit. Tot vero ad-  
 versantis fortunæ casus, suorumque  
 foederatorum dissidia pertæsus Bethle-  
 nius, ex Hungaria in Transylvaniam re-  
 cessit, ac die vigesima Novembris misso  
 Posonium Oratore suo a Mense No-  
 vembri usque ad sequentem annum in-  
 ducias

*Adlzreit.  
 Annal. Boic.  
 part. 3. l. II.  
 Ortel. l. c.*



Sæc. XVII. ducias, simulque quosdam pacis arti-  
 A. C. 1626. culos a Cæsareis Legatis propositos  
 Mense Decembri acceptavit, eos ta-  
 men pro more suo nunquam servaturus

## §. XXII.

*Sacrum Corpus Beati Norberti Mag-  
deburgo Pragæ translatum.*

*Piasec.*  
*p. 400.*  
*Brachel.*  
*l. 3. p. 159.*  
*Caraf.*  
*p. 318. 337.*  
*Ephemerid.*  
*Hag. R. D.*  
*Georg. Ab-*  
*bat. Rog-*  
*genb.*

Jam anno priori Christianus Guilielmus  
 Magdeburgensis Episcopatus Admi-  
 nistrator adversus Ferdinandum Cæsa-  
 rem inito Lavenburgi fœdere arma  
 sumpserat, hinc Canonici, quorum  
 quidam, pauci tamen Catholici, ali-  
 secta Lutherani vel Calvinistæ Impera-  
 toris potentiam atque indignationem  
 veriti, celebratis Hagæ comitiis Chri-  
 stianum ad ponenda arma hortabantur  
 cum vero hic respiscere nollet, fides  
 Pseudo-Archiepiscopo datæ renupta-  
 runt, ac demum subrogato Augusto Sa-  
 xonici Electoris Filio nonnulli ex Ca-  
 nonicis Cæsari adhæserunt, ceteri ne-  
 trius partis studio addicti persistere: non  
 dum sopito hoc diffidio alia dissensio  
 causa inter eosdem Canonicos, ac Mag-  
 stratum Ordines orta est, occasione  
 inde nata, quod sub finem hujus  
 Casparus de Questemberg Abbatæ Str-  
 hoviensis Candidi Ordinis Præmonstra-  
 tensis Præpositus veneranda Ossa Be-  
 tistini

tissimi Patris Norberti Fundatoris sui Sæc. XVII. A. C. 1626.  
 Magdeburgo, ubi ejusdem cultus unacum vera Religione evanuerat, Pragmam transferri, iterato postularet, hancque in rem commendatitias Cæsaris literas exhiberet. Haud difficulter anuebant non pauci ex Senatu, plures ex Canonicis, omnesque Catholici, quorum tamen pauci adhuc supererant: Hi vero, qui ex plebe Acatholica rogabantur, sese huic translationi acriter opponebant, eo quod sibi persuasum haberent, idque vulgo spargeretur, unacum sacri hujus Corporis amissione urbis prosperitatem amissum iri. Nec omnino vanum fuisse eorum timorem, testabatur subsequens præfatæ urbis devastatio. Nihilominus censebant Senatores Calviniani, Sacras hasce reliquias potius igni exurendas, cineresque in profluentem spargendos. ne Idololatriæ, ut aiebant, Pontificiæ fomes adderetur (\*). Id tamen, ne fieret, prohibebat Cæsareus miles, qui extrema quævis minitabatur, si sacra Lipsana integre consignare renuerent, vel sacrilega manu profanarent; neque enim

E e 4

nim

(\*) Sibi tamen de Idololatriâ non timebant Calvinistæ, dum Barnefeldii capite truncati sanguinem in phialis religiose asservabant, vid. supra l. 191. §. 72. pag. 263.

Sæc. XVII. nim (uti prudentiores afferebant) ad  
 A.C. 1626. eos spectaret, legem Catholicis præ-  
 scribere, qua ratione Sanctos suos ve-  
 nerarentur (\*). Igitur decreta transla-  
 tione Casparus Abbas ad sacrum Se-  
 pulcrum tertio evocatus, die tertia  
 Decembris comparuit, non nisi zegeri-  
 me a Prædicantibus A catholicis admil-  
 fus, eoquod hi minas Pseudo-Admini-  
 stratoris vererentur: postquam vero  
 Urbis Magistratus omnem culpam in  
 se susciperet, accersebantur Andreas  
 Bœhr Magdeburgensis Civis, Publi-  
 cus, & in Camera Imperiali approba-  
 tus, atque immatriculatus Notarius  
 necnon Nicolaus Genthen, & Hans  
 Mülleren tanquam testes specialiter ad  
 hunc actum vocati ac rogati. His præ-  
 sentibus Abbas Strahoviensis, & Ce-  
 spinus Fuckius ejusdem Ordinis Præ-  
 positus Doxanensis, unacum Martino  
 Stricerio, & Rudolpho de Sbrojawa  
 Hallæ Cæsarei exercitus Præfetto, eo-  
 rumque famulis, aliisque ad hoc assum-  
 ptis Templum S. Mariæ olim a Cano-  
 nis Divi Norberti Filiis inhabitatum  
 eis ab A catholicis ereptum ingre-  
 sunt, ubi aram Sanctæ Crucis,

(\*) Minus vero jactatæ mansuetudini con-  
 sonum fuisset, tanta feritate in mortuorum ce-  
 davera grassari.

qua Sacrae reliquiae reconditae erant, Saec. XVII.  
A. C. 1626.  
per caementarios demoliri caeperunt, atque in profundo satis loco lapideum Sarcophagum inuenientes, deposito lapide sacrum Corpus integrum adhuc, atque omnibus suis partibus rite compositum reppererunt, quod tamen ubi vehementius movebatur, consumptis jam diu nervis in partes concidit, quae suo ordine collocatae, atque in arcam mundissima Syndone ornatam repositae ad Monasterium Doxanense prope Leitomerium in Bohemia interim deferrebantur, ubi per semestre fuerant aservatae, donec Pragae decentissimus locus in Monasterio Montis Sion praeparatus esset. Die autem secunda Maii convocatis ex tota ferme Europa Ordinis Praemonstratensis Superioribus, ac confluente universa pene Bohemia Sacrum Corpus curru Pragam devehebatur. Obviam processerant multi Viri Equestris Ordinis, Caesaris Oratores, cunctique Clerici ardentibus tædis instructi: Arcam ipsam ad Ecclesiam Teinensem deferrebant quatuordecim Abbates Infulis suis ornati: Sequebatur Archiepiscopus Pragensis, qui ibidem rem Divinam solemni ritu peregit. Altera die Sacrae reliquiae ad Monasterium Montis Sion Ordinis Praemonstratensis incredibili pompa deferbantur, ubi

Sæc. XVII. hodie dum in corona Filiorum suorum  
A. C. 1626. honorificentissime requiescunt.

Plusquam quinquaginta anni ab hac translatione effluxerant, cum primum Lutheranus quidam Pseudo-Criticus Philippus Müllerus exauctoratus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdeburgensis Præpositus in Academia Jenensi anno millesimo sexcentesimo octogesimo primo in suis *Norbertinis vindiciis*, ad firmare non erubesceret: *Exuvias Sancti Antistitis a suo S. Mariæ Monasterio Magdeburgensi nunquam Pragam fuisse translatas*, „deceptum proin Abbatem Pragensem, „utpote qui loco Sancti Norberti tum- „bam exhumarit Archiepiscopi Henrici „qui Hartwici Successor, ac Ruckeri „& Sancti Norberti infra Altare Sancti „Crucis humati Prædecessor fuisset. Verum insulsa hæc crisis potius comiseratione, quam confutatione digna est; quis enim credat tot Præsules doctrina & pietate conspicuos, quorum plurimum, veras Sanctissimi Fundatoris sui reliquias vindicare intererat, per impensos pene incredibiles sumptus adhibitosque labores impigros deceptum potuisse aut voluisse: Num forte tumbam Henrici a tumba Sancti Norberti solus Müllerus post quinquaginta quatuor- que annos, & quidem absens, non autem publicus Notarius, testes, totaque

alii præclari Viri tum præſentes digno- Sæc. XVII.  
 scere poterant, num aut decepti, aut A. C. 1626.  
 decipere intenti publicum & legale in-  
 ſtrumentum ſigno, ſigillo & chirogra-  
 pho ſuo munitum deſuper confeſerunt,  
 ac diſſerte, diſtincte & clare teſtati ſunt,  
 exhumatas eſſe reliquias S. Norberti,  
 idem quoque ſolemni juramento con-  
 firmantibus Senatu, civibusque Magde-  
 burgeniſibus? Apage cum infulſis hiſce  
 cavillationibus, quas ſatis ſuperque  
 Bollandiſtæ, aliique confutarunt,

§. XXIII.

*Leopoldus Auſtrice Archidux dimiſſis  
 Episcopatibus ſuis Claudiæ Me-  
 diceæ connubio junctus.*

Interim Cæſar rebus ſuxæ familiæ in-  
 tentus, de Leopoldi Archiducis fra-  
 tris ſui matrimonio ad ſtirpis propaga-  
 tionem ineundo deliberabat; hic enim  
 jam antea Paſſavienſem & Argentinen-  
 ſem Episcopatus unacum Conſtantienni  
 Præpoſitura ad manus ſummi Ponti-  
 ficis in favorem Alberti Sigismundi, qui  
 Baviariæ Electoris Filius erat, depoſue-  
 rat, quamvis poſtea Leopoldus Guiliel-  
 mus Ferdinandi Cæſaris Filius annuen-  
 tibus Canonicis Electoribus utrumque  
 Episcopatum obtinuiffet, ea tamen le-  
 ge, ut omnes Eccleſiarum proventus

*Theatr. Eu-  
 rop. p. 953.  
 Carafa  
 p. 231.  
 Brachel. l. 3.  
 pag. 117.*

WS-2

Sæc. XVII. usque dum Leopoldus tum nonnisi tre-  
A. C. 1626. decim annos natus, decimum octavum  
 ætatis annum attigisset, ad extinc-  
 tionem æris alieni, quo hæ Ecclesiæ ob  
 belli tumultus gravatæ erant, impen-  
 derentur, atque interim Capitulum  
 utriusque Ecclesiæ bona moderaretur,  
 unde Passaviensis Ecclesiæ administra-  
 tio Marquardo Swendio, Argentorati  
 vero Hermano Comiti de Solms deman-  
 data est. Rebus ita compositis Leo-  
 poldus Archidux Romam profectus est,  
 ut legis veniam a summo Pontifice im-  
 petraret, qua etiam obtenta aliquan-  
 tulum in urbe substitit, ac pro acqui-  
 rendis Anni sacri gratiis designatas Ec-  
 clesias religiose lustratus, inde Flo-  
 rentiam abiit, ubi Claudiam Mediceam  
 Ferdinandi I. Magni Ducis Florenti-  
 æ, & Friderici Ubaldi Urbini Ducis  
 Viduam duxit, atque Oeniponti die  
 vigesima quinta Aprilis nuptiarum so-  
 lemnia celebravit.

## §. XXIV.

*Fidei Catholicæ augmentum a Carolo  
 procuratum.*

*Caraf. l. c.* **H**oc item anno Ferdinandus Imperator restaurandæ rei Catholicæ defessam impendebat operam, ac præ-  
 primis Gotvicensem Abbatem, ceterosque

que reformationi destinatos iteratis li-  
 teris, ut fidei negotium promoverent,  
 hortabatur, hancque in rem ineunte  
 Mense Februario omnibus Provinciarum  
 Præfctis ac Ministris decretorum exe-  
 cutionem demandabat, omnemque  
 præfixi termini prorogationem, quam  
 Provinciarum Præsides petebant, cunctis  
 omnino denegabat. Postea in Austria  
 inferiori omnes oppidorum minus no-  
 bilium cives jam ad fidem Catholicam  
 reductos, a suis Magistratibus in ea-  
 dem Religione constanter servari præ-  
 cepit, ac serio Viennensi Universitati  
 mandavit, ut ejectione suo gremio hæ-  
 reticis non nisi Catholicos Professores  
 admitteret. Pariter in Bohemia Cæ-  
 saris jussu Ernestus Adalbertus ab Har-  
 rach Pragensis Archiepiscopus, se præ-  
 sente, Theologorum conventum qua-  
 vis hebdomada habuit, ac de rebus  
 fidem concernentibus egit, nullisque  
 sumptibus pepercit, ut Viros saluti a-  
 nimarum proficuos Ecclesiis præficere  
 posset. Hujus studium pie æmulaban-  
 tur Magnus Prior Equitum Meliten-  
 sium, necnon Questenbergus Straho-  
 viensis Præmonstratensium Abbas, qui  
 omnes suos subditos ad fidem Catho-  
 licam reduxerunt, obstinatis e suis di-  
 tionibus emigrare jussis; ad horum  
 imitationem extra Pragam prope Be-  
 nissa-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1626.



Sæc. XVII niffavium Paulus Comes de Michna pariter sectas eliminare nitebatur, verum exorta periculosissima seditione vix non conditiones suas unacum vita amisisset. Præterea Palatinatu inferiori per Maximilianum Bavarix Electorem ad veram fidem reducto Cæsar iteratis literis Joannem Comitem Nassovium religione Catholicum urgebat, ut imperato vexationum metu subditos suos ad ejurandos Calvinii errores inducere vellet. Nec suis partibus deerat Comes hac arte usus; simulabat enim quod abjecta Calvinii secta eos ad Lutheri dogmata, utpote a sua, quam ipse profiteretur, religione minus absque, perducere vellet, proin ut Religionem in Imperio toleratam adstipulantur, eos hortabatur, additis etiam minis, quod si secus facerent, mox Catholicam Religionem inducturus esset. Percepta Comitum voluntate, subditi tam frequentem sectæ mutationem pertæsi potius ad Catholicam fidem tunc transferri maluerunt, quam infra paucos annos ad denuo mutandam Religionem cogi: Igitur Comite lubenter annuente, vix non omnes ad veræ Ecclesiæ gremium reversi sunt, paucis, qui sectæ suæ tenacius inhærebant, in Galliam emigrantibus: Haud minori sollicitudine Cæsar Comitem Swarzenburgiæ cum

cum, necnon Comitem de Marcka su-  
preum Ordinis Theutonici Magistrum, Sæc. XVII.  
A. C. 1626.  
pluresque alios Principes Catholicos ad  
instaurandam Religionem incitavit, imo  
ipsemet novam Concilii Aulici normam  
instituit, & Melandrum, Wendolium,  
pluresque alios Consiliarios, paucissi-  
mis exceptis, qui ob Imperii liberta-  
tem tolerabantur, ad fidei Catholicæ  
professionem reduxit, simulque Lud-  
vico Comiti de Ottingen, ut bona Mo-  
nasterii Müncrottensis protinus resitue-  
ret, indicta proscriptionis pœna præce-  
pit, necnon Norimbergensem & Ulmen-  
sem Magistratus, eoquod violata Passa-  
viensi transactione Ecclesias & Mona-  
steria usurpare pergerent, comparere  
jussit, ac quinquaginta marcarum auri  
multam Ulmensibus indixit, quia Lu-  
therani Wangensis Monasterii subditos a  
Religionis suæ exercitio, festorum ce-  
lebratione, scholarum erectione, & se-  
pultura temerarie exclusissent. Hanc  
Catholicæ Religionis restaurationem  
Protestantes Sueviæ Ordines callida  
quidem versutia sistere, ac bonorum  
Ecclesiasticorum possessionem sibi asse-  
rere nitebantur, Wallensteinio æque  
ac Cæsari ingentem auri vim sub ob-  
tentu subsidii in bellum Turcicum sub-  
mittentes: Attamen Ferdinandus, cu-  
jus Religionis studium nequaquam ve-  
nale

Sæc. XVII. nale erat, nullatenus a decretis  
 A. C. 1626. contra Principes bona Ecclesiastica  
usurpantes promulgandis desistit.

## §. XXV.

*Rhetorum Calvinistarum oppositio con-*  
*tra Catholicos.*

*Lotich. rer. Germ. l. 16. cap. 1. Theatr. Europ. p. 957. Ferreras cont. Hist. Hisp. t. 12.* **C**ontroversia, bellumque Rhaeticum contra Catholicos Valtelinos tam diu, acriterque gestum vix non fuisse compositum, nisi Calvinistæ Grisonum suæ sectæ fanaticismo abrepti, Montanianæ paci obstitissent. Nemini quidem æquior querendi causa fuisse quam Urbano summo Pontifici, qui post immensos sumptus, in conscribendis copiis, & decretis in Franciam trahebat, nisi quod in Valle Telina, Wurmieni ac Clavenensi Comitatu Religionem Catholicam, qua nihil potius habebat, sartam servasset, summeque a gravibus curis, in quas Praeforis sui Nepos eum congesserat, tandem immunis esset. Catholicis etiam Valtelini, Clavenenses & Wurmiani hunc articulos ratos habebant, quamvis hos nec de damnis resarciendis, nec de injuriis reparandis ullo pacto eis curatum fuisset: Veneti quoque, licet de optato hujus pacis successu dubitarent,

fese tamen Regis Christianissimi amici-  
 tia hac in re uluros pollebantur: soli  
 ergo Grifones Calvinistæ effulis in Hi-  
 spanos convitiis ob Catholicæ Religio-  
 nis exercitium Valtelinis indultum in  
 Peschlaviensi conventu huic transactio-  
 ni acriter obluſtati sunt, suæ repugnan-  
 tiæ caussam prætexentes, quod suprema  
 in Valtelinos jurisdictio eis inique  
 adimeretur. Ea res diu inter frivolas  
 altercationes ultro citroque agitata est:  
 tandem vero Cuvrius Franciæ Mare-  
 scallus, & Carolus de Alaspina ambo  
 Galliarum Regis Oratores tanquam li-  
 tis componendæ medium proponebant,  
 quod summo Pontifici Vallis Telinæ se-  
 questrum restitueretur, milesque utrin-  
 que educeretur, ac demum Vicarius  
 quidam nomine Regis Christianissimi  
 per semestre politicum hujus ditionis  
 regimen exerceret, ut interea de tri-  
 buti Grifonibus pendendi summa agi  
 posset. Obstitit tamen Hispaniæ Ora-  
 tor Consalvus Corduba, unice Ponti-  
 ficio sequestro, necnon militum dimis-  
 sioni insistens: inde vero nova in Hi-  
 spanos diffidentia, ac invidiæ constan-  
 dæ argumentum est exortum; com-  
 perta enim Hispani Legati sententia  
 mox Franciæ Rex inhibuit, ne Galli-  
 cus miles, nisi prius tributis ratio de-  
 cerneretur, Valle Telina exiret: id con-  
 sultat.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1626.

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.*

Ff filii

Sæc. XVII. filii summe displicuit Consalvo, qui ne  
A. C. 1626. quidem minis temperans, binas Tur-  
 res veluti novi belli prænuntias apud  
 Archetam erigi iussit; nec segnius Galli  
 prope Tyranum reparandis munimen-  
 tis institere, resque ad acrius, quam  
 antea, bellum spectare videbatur: he-  
 ter hæc Calvinistæ, cum Monconiazæ  
 pacis articulos ad sua vota immutari  
 desperarent, paulo mitius sentire ce-  
 perunt. Gallis Oratoribus polliciti,  
 dummodo cetera ad pristinum revoca-  
 rentur statum, sese permissuros, ut  
 Calvinianæ Religionis exercitium a  
 Valle Telina, Wurmia & Clavena ex-  
 cluderetur, ea tamen lege, ut Calvi-  
 nianis Grisonibus, ibidem habitare,  
 suisque bonis frui concederetur. Ea  
 de re Solothurni exeunte Mense No-  
 vembri Conventus habebatur, in quo  
 Franciæ Legatus Helvetiis exponeret,  
 quatenus nuperrime conclusum esset,  
 Valtelinis solius Religionis Catholicæ  
 usum, Grisonibus vero profanam in  
 has ditiones jurisdictionem fuisse asse-  
 tam. Hanc in sententiam ultro Hel-  
 vetii Catholici concessere, rursus vero  
 repugnarunt Calvinistæ, transactionem  
 Madritensem pertinacius urgentes. De-  
 fractis igitur sententiis nil certi decreti  
 poterat, tandem vero Bethunii Ma-  
 chionis Franciæ Legati, & Ornati Hi-  
 spani

spani Oratoris consensione Romæ fanci-  
 tum, ut Torquato Contio Pontificii Sæc. XVII.  
 exercitus Belliduci, qui hanc in rem A. C. 1626.  
 cum tribus armatorum millibus in  
 Rhætiam moverat, munimenta Ponti-  
 ficis erepta restituerentur, mox autem  
 Torquatus ex illis egrederetur, quam-  
 primum circa sequelstrum, & commif-  
 fas Pontifici ditiones inter Urbanum  
 Papam & Hispaniæ Regem plene trans-  
 actum fuisse comperit, eodemque  
 temporis momento Grifones ex recens  
 erectis munimentis, quæ a rusticis mox  
 solo æquarentur, suas educerent co-  
 pias. Rebus ita Romæ compositis pa-  
 riter Parisiis inter utriusque Regis Le-  
 gatos conventum est, ut Telini quot-  
 annis tributi nomine viginti quinque au-  
 reorum millia Grifonibus numerarent,  
 ac libero Religionis Catholicæ exerci-  
 tio tam in Valle Telina quam in utro-  
 que Comitatu fruerentur, & Grifoni-  
 bus forte religionis exercitium impe-  
 dientibus Papæ Nuntius prout æquitas  
 postulaverit, prospiceret, sique vim ad-  
 hibere necesse fuerit, ambo Reges ei-  
 dem opem ferre tenerentur; prout jam  
 antea transactum erat. Acquievit hiice  
 pactis Consalvus Corduba, paxque tan-  
 dem utcunque resloruit, licet Calvini-  
 stæ denuo recalcitrantes missis ad Gal-  
 liarum Regem Oratoribus Madritense  
 Ff 2 pactum

Sæc. XVII. pactum adimpleri, improbe urgerent:  
 A. C. 1626. cumque metus esset, ne Engadientes  
 denuo res novas molirentur, eapropter  
 quamvis potiora munimenta fuerint de-  
 structa, & copix die sexta Martii ut-  
 rinque e sinibus abductæ, necnon Pon-  
 tificiæ legiones in sequestrum immittæ,  
 exercitus tamen Gallicus, si res in-  
 ferret, ad expeditionem bellicam para-  
 tus erat.

## §. XXVI.

*Novi tumultus ab Arminianis per fa-  
 deratum Belgium suscitati.*

*Lotich. rer. Germ. l. 16. c. 2. p. 471. Theatr. Euro-  
 rop. p. 959. Meteran. Hist. Belg. pag. 502.*

Nec minus pacatæ erant Calvinista-  
 rum res in Fœderato Belgio; quip-  
 pe non modo ob interdictum cum His-  
 panis commercium, ac ex in aucta ve-  
 ctigalium onera Insulani & Levartæ-  
 ses, necnon finitimarum urbium cives  
 sumptis armis in Magistratus suos con-  
 jurabant, sed insuper Gomaristæ seu  
 Contra-Remonstrantes spurio Religio-  
 nis Zelo, seu potius fanaticismo in Ar-  
 minianos indomitis, impotentibusque  
 furiis debacchabantur; cum enim die  
 vigesima sexta Aprilis Lugduni Be-  
 tavorum in privatis ædibus cætus age-  
 rent, necnon ad sectæ suæ concionis  
 confluerent, mox agmine facto essent  
 tum purioris Calvinismi vulgus impeta-  
 lyu-

lymphato circumfundens se, in ædes Sæc. XVII.  
 irruit, cunctaque dilacerare, fusdeque A. C. 1626.  
 vertere cæpit, quin Senatus hortatio-  
 nibus, aut immisissis præfidiariis refræ-  
 nari posset. Jam antea Amstelodami  
 die decima tertia ejusdem Mensis  
 furiis perciti calones, Lippi ac ton-  
 fores turmatim in Arminianos im-  
 petum fecere, extractisque Arminia-  
 ni Verbi Ministris omnia tumultibus  
 fœdarunt, ac integram militum cohortem,  
 quam urbis Centurio furiosis op-  
 poluerat, lapidibus abegerunt, quin  
 imo ipsemet Centurio a promiscue sæ-  
 viente sexus utriusque colluvie protru-  
 sus, pulsatusque, ægre, non sine summo  
 vitæ periculo evaserat. Nec tamen  
 adhuc his satiata erat Calviniana ra-  
 bies; altera enim die furiosi hi mango-  
 nes furiis acti facto inconditæ multi-  
 tudinis concursu cæptos redintegrarunt  
 assultus, ædesque, in quibus Armi-  
 niani privatum habebant cœtum, a  
 fundamentis dejecere; simulque Cen-  
 turionis domum fœde deprædati sunt:  
 tandem vero civibus magno numero  
 opem ferentibus, tumultuantium fu-  
 ror repressus est.

## §. XXVII.

*Decii Carafæ Cardinalis obitus.*

Ff 3

Eun-



Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

*Ciacon. in  
vit. Pauli V.  
pag. 422.*

Eundem hunc annum vitæ suæ fune-  
stum, postremumque habuit Decius  
Carafa Patritius Neapolitanus, qui ad-  
huc puer Clericali militiæ adscriptus,  
plura obtinuit Sacerdotia, ac Referen-  
darii munere per aliquot annos defun-  
ctus, a Clemente VIII. in Lusitaniam  
decernebatur, inde vero Romam eve-  
catus, a Paulo V. in Belgium, postea  
in Hispaniam Sedis Apostolicæ Nun-  
tius mittebatur, demum vero præsti-  
tis obsequiis Ecclesiæ præstitis ables  
Cardinalis Presbyter, & invitus Ne-  
apolitanus Archipræsul ab eodem Pon-  
tificice renunciabatur, quam Ecclesiam  
tredecim omnino annis pie pruden-  
terque moderatus est, eamque imper-  
tis plusquam viginti sex aureorum mil-  
ibus elegantissime exornavit. Vir eni-  
vere Ecclesiasticus, & sacra purpura  
dignissimus, atque ob incomparabilem  
vitæ integritatem, sanctioris Zeli  
mam, Religionis, clementiæ, ac pi-  
etatis laudem longe celeberrimus. Em-  
nuit præcipue in singulari Deiparæ  
Virginis cultu, vigilantia ac studio  
coercendis subditis, in Clericorum mo-  
ribus restaurandis, atque in disciplina  
Ecclesiastica salubriter restituenda. Hæc  
in finem plures celebrabat Synodus,  
ac frequenter ipse suam Diæcesim vi-  
sitabat. Catalogum quoque aliquot  
Nea-

Neapolitanæ Urbis Sanctorum, quorum Sæc. XVII.  
 memoria ab hominibus multis retro A. C. 1626.  
 sæculis exciderat, unacum historia vitæ  
 cujusque Sancti edidit. Denique an-  
 nis, meritisque plenus, die vigesima  
 tertia Januarii septuagenario major  
 Neapoli decessit, in Ecclesia sua Ca-  
 thedrali sepultus.

## §. XXVIII.

*Odoardi Farnesii Cardinalis mors.*

Sequentis Mensis die vigesima prima Ciacon. in  
 iato concessit Odoardus Farnesius vita Gre-  
 Alexandri Parmæ Ducis Filius, qui gor. XIV.  
 Romæ liberaliter educatus, atque in Maracc. in  
 generis disciplinis excultus, Abbasque Purp. Mar.  
 Cryptæ Ferratæ, & tandem absens a  
 Gregorio XIV. Cardinalis Diaconus re-  
 nuntiabatur. Præfuit etiam primo Sa-  
 binensi, postea Tusculanæ Ecclesiæ,  
 Sceptrumque Ducale, quod ei Ranu-  
 tius frater ipsius obtulerat, generoso  
 animo respuit, totum se pietatis ope-  
 ribus sacrans: præterquam enim quod  
 plures Sodalitates, sacrosque Ecclesia-  
 sticorum & Laicorum cætus suæ curæ  
 commissos beneficiis amplissimis, largi-  
 terque erogata pecunia locupletasset,  
 insuper Jesuitis Romæ professorum æ-  
 des, & sacrarium centenis & amplius  
 aureorum millibus extruxit, Carmeli-  
 tis

SÆC. XVII. tis Discalceatis Caprarolæ Cœnobium, ædemque a fundamentis erexit, præventusque adjunxit, Orphanorum, & fœminarum a questu pudicitiae, ad castitatem Religiosam refugientium ædes locupletavit, Sodalitio B. Virginis Annuntiatæ, & Cœnobia Parmensi ad inopes virgines dotandas erecto, non Regiensi & Lauretanæ ædi multa aureorum millia dono submitit. Præter Regiam hanc liberalitatem aliis præsuper virtutibus inclaruit, insignis proficitæ cultor, benignus in omnes, humilis, & suavis, nemini unquam injuriosus, nec facilis injuriarum ultor, cui solius beneficentiæ ambitione admittuntur in obsequium Ecclesiæ & pauperum levamen spirasse videbatur. Tandem egregius hic Princeps, Romane Curiae ac sacro Cardinalium Collegii vivum etiam post mortem prudentiæ pietatisque exemplum relinquens, Parmæ anno ætatis suæ quinquagesimo secundo ad æternitatis præmium evolavit.

## §. XXIX.

*Henricus de Guzman Cardinalis mortuus.*

*Victor. in  
add. ad  
Cracon.*

Hunc pari fato sequebatur Henricus de Guzman de Haro Hispanus, qui

qui nondum expleto vigesimo primo æ- Sæc. XVII.  
tatis suæ anno Canonicus primo Hispa- A. C. 1626.  
lensis, postea Toletanus, ac demum  
absens ab Urbano VIII. Papa, petente  
Philippo IV. Hispaniarum Rege Cardi-  
nalis Diaconus nominabatur. Præcla-  
ræ, quibus optimæ spei juvenis effulse-  
rat, virtutes Virum omnibus nume-  
ris absolutum præfagiebant; impigro  
enim in literis labore, ac vigiliis vastam  
librorum cognitionem sibi jamjam com-  
paraverat, suaque humanitate omnium  
animos in se rapiebat, omnibusque  
præcipue pauperibus, quorum quam-  
plurimos quotidie alebat, munificen-  
tia largum, benevolentia charum, of-  
ficiis admirabilem, moribus mitissimum,  
gratissimumque sese exhibebat: Verum  
spem omnem destituit præmatura mors,  
qua hic juvenis longiori vita dignissi-  
mus, paucis post adeptam Purpuram  
mensibus anno ætatis suæ vigesimo pri-  
mo die vigesima prima Junii Madriti  
vivi ereptus est.

## §. XXX.

*Scipionis Cobellutii Cardinalis de-  
cessus.*

Gratam sui apud Literatos memoriam *Joan. Nic.*  
reliquit Scipio Cobellutius patria *Pinacoth. I.*  
Viterbiensis, qui humanioribus literis, *p. 71.*  
*Ciacon. in*  
Ff 5 *nec vit. Paul. V.*

Sæc. XVII. necnon Philosophicis Disciplinis Romæ  
 A. C. 1626. instructus, jurisprudentiæ operam de-

derat, ac evoluto aliquot annorum de-  
 cursu in Gymnasio Romano amplissi-  
 mam Juris utriusque interpretandi fa-  
 cultatem obtinuit, cognoscendisque cau-  
 sis animum adjecit: Consectabatur in-  
 diose familiaritatem illustrium æque ac  
 doctorum Virorum, quorum consorcio  
 non modo ingenium suum varia eru-  
 ditione excellere, sed & sibi ad digni-  
 tates honoresque viam sternere satage-  
 bat, nec irritò sane conatu; quippe  
 Pompei Arigoni Cardinalis opera ac  
 favore, Apostolicorum Brevium, ut ve-  
 cant, Abbraviator, ac demum Cardine-  
 lis a Paulo V. creatus est, cunctis sane non  
 præcipitem fortunæ favorem admiran-  
 bus: ad hoc tamen fastigium evehus-  
 bellutius nil antiquius habuit, quam  
 morum probitate, vitæque sanctimo-  
 nia sese obtenti honoris dignum, ac  
 Literatorum fautorem, pauperum Pro-  
 trem exhiberet; eapropter pro subve-  
 vandis Christianis vel Hæreticorum in-  
 manitate pressis, vel apud Turcas co-  
 tivis centenos quotannis aureos erop-  
 vit, domumque suam in Literatorum  
 Athænæum convertit, ubi nonnulli de  
 literis, de sacra Ecclesiæ historia, et  
 de fide propaganda, aliisque ejus gene-  
 ris argumentis sermones haberi passim

est. Nec tamen suis caruit nævis: car- Sæc. XVII.  
 cebatur enim ob nimiam corporis sui A. C. 1626.  
 curam, tamque immodice propriæ lau-  
 dis appetens dicebatur, ut si latinam  
 duntaxat epistolam scripisset, vel con-  
 siliium cuiquam juridicum dedisset, mox  
 illud divulgandum, atque ab aliis com-  
 mendandum curarit. Dum autem ex-  
 trema laborabat valetudine sæpius di-  
 cere solebat, se Paulo V. quod ipsum  
 Purpura decorasset, & Scipioni Burg-  
 hesio plurimum debere, eoquod per  
 ipsum de summi Pontificatus honore  
 fuisset dejectus. Obiit Romæ die vi-  
 gesima nona Junii annos natus sexa-  
 ginta duos.

## §. XXXI.

*Alexandri Ursini Cardinalis ex-  
trema.*

Non minus luctuosa Sacro Purpura- Nic. Pinoc.  
 torum Collegio accidit immatura II. p. 330.  
 mors Alexandri Ursini, qui Virgilii  
 Ducis Braciani Filius generis splendo-  
 rem, amplissimosque honores a fortu-  
 na, ingenium perspicax, memoriæ feli-  
 citatem, raramque morum suavitatem  
 a natura, & proclivem ad omne bonum  
 indolem a gratia receperat; erat enim  
 vivum innocentiae, puritatis, modestiae,  
 humilitatis, patientiae, & beneficentiae  
 exem-

Sæc. XVII. exemplum: succurrebat afflictis, viduis  
A. C. 1626. & orphanis, ægrisque in Nosocomis

fua sæpe manu porrigebat, pedesque abluebat, quo charitatis obsequio nonnullos ex Sectariis Ecclesie lucrificavit. Felici insuper nexu pietatis eruditionem conjunxit; quippe non modo in Poeseos atque eloquentie studio plurimum profecerat, sed etiam Philosophicis, Mathematicis, Theologicis, & legalibus disciplinis probe instructus erat: unde a Paulo V. Papa non nisi viginti duos annos natus Cardinalium Collegio adscriptus Æmilie Legationem sub Gregorio XV. obtinuit, postea Germaniam perlustratus, Romanamque reversus, totum se pietatis operibus, vigiliis, jejuniis, mortificationi, corporisque macerationi dedit. Sacram quotidie præmissa per horam Sacra meditatione, ac confessione faciebat, necnon Venerabile Sacramentum, quoties ad infirmos deferretur, ad vilissima etiam tuguria aperto capite inter maximos solis calores comitatur. Has tamen laudes vitium pleneque Principibus commune immunitas videbatur, quippe juveni cuidam, qui a cubiculis, adeo vehementer addictus erat, ut eidem veluti obtemperans illum multis aureorum millibus ditaret. Obiit hic Cardinalis die vigesima secunda

cunda Augusti, nonnisi annos triginta Sæc. XVII.  
& unum natus. Scripsit multa perele- A. C. 1626.  
ganter tam soluta oratione tum ver-  
sibus,

## §. XXXII.

*Dionysii Simeonis de Marquemont  
Cardinalis fatum.*

Postremus denique ex Cardinalibus, Friz in Gall.  
qui hoc anno vitam cum Purpura Purp. Ciac.  
exuerunt, erat Dionysius Simeon de in vit. Ur-  
Marquemont natione Gallus, patria ban, VIII.  
Parisius. Hic Jurisprudentiæ præ-  
stantia sibi non modo Henrici IV. Re-  
gis favorem, sed etiam varia Romanæ  
Curie munia comparabat; præcipue  
vero in Romana Rota per plures annos  
Apostolici Auditoris officio functus,  
utilissime Regni Gallici negotia procu-  
rabat: unde a præfato Rege Floren-  
tias pro conciliandis cum Maria Medi-  
cea nuptiis decernebatur, postea a Lu-  
dovico XIII. Galliarum Rege ad Lugdu-  
nensem Sedem nominatus, in sua Diæ-  
cesi Jesuitarum, Capucinatorum, Carme-  
litarum Discalceatorum, aliorumque  
undecim Religiosorum Ordinum Mona-  
stera instituit: demum a Rege Chri-  
stianissimo ad Paulum V. & Urbanum  
VIII. Pontifices in gravissimis negotiis  
Legatus decernebatur, hocque in mu-  
nere



Sæc. XVII. nere sua prudentia, doctrina, pietate, rerumque gerendarum dexteritate tantopere commendabilem reddidit, ut ab eodem Pontifice Urbano inter Presbyteros Cardinales cooptatus, variis Congregationibus præficeretur. Fuit Vir plane egregius & Ecclesiastici juris defensor accerrimus, pietatis exemplum, Ecclesiæ Decus & ornamentum, ac Pastor incomparabilis, in Regi suo addictus, ut dubium relinqueret, an Regi magis, quam Ecclesiæ faveret. Decessit tandem Romæ inter acutissimos stragurix cruciatu die decima sexta Septembris anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, sepultus in æde Sanctissimæ Trinitatis Petrum Minimorum.

## §. XXXIII.

*Duodecim Cardinales ab Urbano VIII. Papa creati.*

*Theatr. Europ. p. 953. Ciacon. in vita Urbani VIII. p. 539. l*

Ad initium hujus anni die decima nona Januarii Urbanus VIII. Pontifex Maximus duodecim Prælatos sacro Purpuratorum Collegio adscriptis ex quibus tamen duo eodem hoc anno purpuram, quam vix induerat, mortis invidia exuerunt, uti mox memoravimus. Creabantur autem Aloysius Caetanus patria Romanus,

Patriarcha Antiochenus. II. Dionysius Sæc. XVII.  
 Simeon de Marquemont Lugdunensis A. C. 1626.  
 Archipræsul. III. Ernestus Adalber-  
 tus ab Harrach Germanus Archiepi-  
 scopus Pragensis. IV. Bernardus Spa-  
 da five de Spathis Damiatæ Archiepi-  
 scopus, Sedis Apostolicæ Nuntius in  
 Galliis. V. Laudavius Zacchias pa-  
 tria Genuensis, Montis Falisci Episco-  
 pus, Nuntius Apostolicus apud Rem-  
 publicam Venetam. VI. Berlingerus,  
 seu Beringerus Gypsius Bononiensis,  
 Ariminensis Episcopus. VII. Fride-  
 ricus Cornelius seu Cornarus patria  
 Venetus ex Abbate S. Mariæ Bonæ,  
 primo Bergamensis, postea Vicentinus  
 & Patavinus Episcopus, demum vero  
 Venetiarum Patriarcha. VIII. Julius  
 Sacchetus patria Florentinus. IX.  
 Joannes Dominicus Spinola Genuensis,  
 Cameræ Auditor. X. Jacobus Cava-  
 lerius, Romanus, Rotæ Romanæ Au-  
 ditor. XI. Lælius Biscia itidem Ro-  
 manus Apostolicæ Cameræ Decanus,  
 XII. Henricus de Guzman, Hispanus.

§. XXXIV.

*Sæculares Doctores Sorbonici Regu-  
 laribus Doctores adversantes.*

Hactenus absque ullo discrimine Sta-  
 tus aut Ordinis facto, omnes Theo-  
 logiæ

*Argentoræ  
 concl. Facult.  
 Theol. t. 2.  
 pag. 220.*

Sæc. XVII. logiæ Doctores in Facultatem, ejusque  
 A. C. 1626. conventus fuerant admissi; instigantibus  
 tamen nonnullis sæcularibus Doctores Sorbonicis Regulares Doctores præcipue ex Mendicantium Ordinibus variis modis vexabantur, & primo quidem non nisi certum ejusmodi Doctorum numerum præfigebant, obtento ad id Senatus consulto, quod die secunda Augusti ante quinque annos Joannes Filescus in Sorbonæ comitiis exhibuit. Tandem vero hoc anno Regulares Theologos a Sorbona omnino exclusos volebant, & die decima quinta Junii Georgius Frogerus Facultatis Syndicus in publico Sorbonæ conventu præprimis petiit, ut juxta decimum quintum & sextum Academicæ Reformationis articulum Dominicani non nisi quinque, Minores quatuor, & Carmelitæ atque Augustiniani duntaxat tres Doctores tam pro tradenda Theologia, quam interpretandis Sacris Bibliis mitterent, ceteri vero omnes ad sua reverterentur monasteria, quin Facultatis Regentes nominare, nullis Doctorum sæcularium prærogativis frui possent: Ad Syndici preces mox censuit Facultas, omnino standum esse præstituto numero: Recepta quatuor Ordinum Mendicantium Superiores hujus Facultatis præ-

dicio, donec ambo articuli per Regiæ **Sæc. XVII.**  
 Curie interpretationem faissent expo- **A.C. 1626.**  
 fiti, sese opponebant, interim die pri-  
 ma Julii Facultatem rogabant, ut illos  
 Ordinis sui Baccalaureos, qui Sacra  
 Biblia interpretabantur, ad primos  
 Doctoratus honores admittere vellet,  
 usque dum eorum causa a Supremo  
 Senatu decideretur: Verum Facultas  
 ad horum preces demum respondit,  
 servandam esse Sorbonæ sententiam die  
 decima quinta Junii latam. Die autem  
 sexta Julii statuerunt Doctores sæculares,  
 quod una omnes libellum supplicem Par-  
 lamento porrigere vellent, supplices,  
 ut ejus auctoritate decerneretur, qua-  
 tenus deinceps non nisi duo ex quovis  
 conventu Regulari jura suffragii in Sor-  
 bonæ conventibus haberent: Hujus  
 vero petitionis causam obtendebant  
 hanc: *ut Facultas in sua pace conservari,*  
*suaque privilegia in plena libertate ad per-*  
*fectum obsequium Dei, Regis, totiusque*  
*Regni Gallici tueri valeat.* Huic libello  
 viginti novem Sorbonæ Doctores sub-  
 scripserant: E contra Doctores Religiosi  
 ad Regem, ejusque Senatum supplices  
 recurrebant, prospero etiam successu;  
 quippe Rex promulgato edicto inhi-  
 buit, ne ulla Parisiensis Academix Fa-  
 cultas in contentionibus nuper inter  
 Theologicæ Facultatis Doctores tam  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Gg circa*

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

circa librorum censuras, quam Doctores Regularium numerum exortis sententiam ferret. Cum autem insuper habito hoc edicto sæculares Doctores decretis suis contra Regulares infisterent, atque ex hisce altercationibus dissidia ac longe perniciosissimæ factiones non sine populi offensione, & Regiæ auctoritatis dispendio orirentur, hinc Rex, cum ejusmodi dissensiones reprimere, atque inter Doctores pristinam concordiam revocare intentus esset, die decima octava Julii apud Nannetes edictum promulgari jussit, vi cuius Synodico, ceterisque Theologicæ Facultatis Doctoribus, qui libello subscriperant, injunctum, ut acta, judicia & querelæ contra Regulares expositas Regiæ suæ Majestati traderent, deinceps vero nullam litem vel quæstionem circa hanc causam moverent, eoquod Rex hoc negotium plene ad se, suumque consilium Aulicum evocasset.

§. XXXV.

*Parlamenti oppositio adversus Regiæ edictum.*

Argentre  
l. c.

Verum Regius Senatus sua jura ex parte lædi ratus, die vigesima quarta ejusdem Mensis decrevit, Regi supplicandum esse, ne hanc causam a Senatu

natu ad Aulam, suumque Consilium Sæc. XVII.  
 arcanum evocare vellet, interim vero A. C. 1626.

salvo ejus jure denuo quatuor Mendicantium Ordinum Superioribus esse præcipiendum, ne ad Facultatis conventus, ex quolibet dictorum Ordinum Monasteriis plures quam duos deputarent, hique soli ad Sorbonæ Conventus admitterentur, ac jure suffragii gauderent. Hoc decretum Religiosis intimatum die prima Mensis Augusti in Sorbonæ comitiis prælegebatur; cum vero ex Religiosis Doctoribus longe plures, quam Facultas deputari permiserat, conventui interfuissent, mox quatuor Sorbonæ Doctores ad Parlamentum questum ibant, indeque læsam Senatûs auctoritatem obtendebant: postea Filefacus olim Universitatis Decanus sciscitabatur, num omnes, præcipue vero religiosi Mendicantes, vellet obtemperare Senatui juxta præcipienti? Tum vero Frater Salomon Lievin Magister Prior Dominicanorum, Frater Jacobus Jeanne antiquior Magister Domus Augustinensis, Frater Martinus Meurisse Regens Minorum, Frater Petrus Gualtier Regens Carmelitarum, cum ceteris, qui tunc frequentes aderant, dixerunt, se Supremum Senatûm, ejusque decretum multum venerari. Regi tamen Chri-

Gg 2 „stia-

Sæc. XVII. „stianissimo se velle obtemperare, qui  
A. C. 1626. „iisdem privilegiis vult eos gaudere,  
 „quibus hucusque gavisi essent; idque  
 „juxta tenorem Literarum evocationis,  
 „quas exhibuit Magister Michael Mau-  
 „clerus. Deinde Magister Martinus Me-  
 „ruisse prædictorum nomine quæsit,  
 „quo jure, & qua auctoritate Magister  
 „Filefacus eos interrogaret, qui respon-  
 „dit, se tanquam Decanum id faceret,  
 „ille vero cum ceteris professus est, quod  
 „eum non tanquam Decanum hoc in  
 „negotio, sed potius tanquam adver-  
 „santem agnosceret: his dictis re-  
 „cesserunt omnes. Postea accesserunt  
 „duo Consilarii primæ curiæ, ab ipso  
 „Parlamento deputati, nempe Bernar-  
 „dus de Fortia, & Renatus Pidoux  
 „cum cognitore Procuratoris Gene-  
 „ralis, & scriba ejusdem Curie, præce-  
 „dentibus tribus apparitoribus, quibus  
 „honorifice exceptis, enarrata sunt  
 „ea, quæ in Comitibus contigerant post  
 „recitatum Senatusconsultum, quo  
 „eorum jussu lecto, suffragiisque  
 „per scribam Parlamenti collectis, in  
 „guli recesserunt.

Demum Michael Mauclerus expo-  
 suit, quod quidem Parlamenti decreto  
 obtemperandum esset, necessarium ta-  
 men fore judicaret, ut executio hujus  
 decreti suspenderetur, usque dum li-

lud in arcano Regis Senatu fuisset ex-  
 positum, præcipue cum Regulares affe-  
 rerent, *minus æquum esse, quod Conven-*  
*tuum Superiores a Sorbonæ accessu & sus-*  
*fragii jure excluderentur, proin Religiosos*  
*Doctores ipsis multo juniores ad Sorbonam*  
*mittere adstringerentur.* Re igitur matu-  
 rius deliberata, Parlamenti Senatores  
 Decretum suum ita interpretabantur,  
 ut Mendicantium Superiores excludere  
 noluerint, dummodo hi sint ex numero  
 illorum duorum, quos Facultas admitti  
 decrevit: de cetero autem præfixus  
 numerus nulla ex causa vel occasione  
 augeri possit. Cognita igitur Parlamenti  
 pertinacia, Rex die secunda Novem-  
 bris ex oppido Sancti Germani decretum  
 promulgavit, vi cujus edictum suum  
 die decima octava Julii evulgatum om-  
 nino executioni dari præcepit, ac de  
 Regis auctoritate & potestate nec pro  
 nec contra disputari, vel de numero  
 Mendicantium ad Sorbonam admitten-  
 dorum agi inhibuit, indicta pœna in  
 pacis publicæ perturbatores & sedi-  
 tiosos statuta: hoc quoque edictum  
 sicut & præcedens Rex ad Facultatis  
 acta referri, die vigesima septima De-  
 cemberis jussit, imposito Doctoribus si-  
 lentio, quod etiam servabatur usque ad  
 annum Christi millesimum sexcentesi-  
 mum quadagesimum nonum, quo

Gg 3

Sanct-



Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

Sanct-Amor Doctor, Arnalditzæ, eorumque socii Hallierum Syndicum excludi petebant, de multitudine Doctorum ex Mendicantium Ordinibus conquesti. Ea super re tunc Parlamentum suum renovabat decretum, quod tamen observatum non fuit usque ad annum Domini millesimum sexcentissimum sexagesimum tertium, quo illud Senatus Regius confirmabat.

## §. XXXVI.

*Alia Facultatis censura contra propositionem quamdam a P. Testefort propugnata.*

Argentre  
pag. 330.

Nec minus grave negotium Parisis Facultas Theologica sibi facebat nova quadam altercatione, cujus occasio erat hæc: Die vigesima sexta Novembris Joannes Testefortius Ordinis Prædicatorum Baccalaureus ab Ifacco Habert Sacræ Facultatis Magistro hanc thesin defenderat: merito dicitur Sacram Scripturam esse eam, quæ pars Bibliis Sacris, partim Epistolis Decretibus Summorum Pontificum, quatenus replicant Sacram Scripturam, partim Sacris Conciliis continetur.

Inde mox gravis in Testefortium excitabatur in Universitate tumultus, ac præprimis die prima Decembris Elias

Dufrene in pleno Doctorum confesso Sæc. XVII.  
desuper graviter querebatur, incassum A. C. 1626.

Haberto propugnante, quod hæc pro-  
positio benignam admitteret interpre-  
tationem. Vocatur igitur ipsemet Teste-  
fortius, ut hanc assertionem ipse in-  
terpretaretur. Hic ergo respondit,  
hanc esse suam mentem, quod Scriptu-  
ra per Ecclesiam explicata sit regula  
fidei, & quod per Sedem Roma-  
nam intellexerit Ecclesiam: nihilomi-  
nus Facultas, nullo modo tolerandam  
esse hanc Thesin, censuit, eamque die  
tertia Decembris proscripsit, edito hoc  
decreto: „Exposuit Rector, Fratrem  
„Joannem Testefort e familia Domini-  
„canorum Theses publice defendisse,  
„quibus multa falso asseruit, maxime  
„vero, *Scripturam Sacram esse eam, quæ*  
„*Bibliis Sacris & epistolis decretalibus con-*  
„*tinetur.* Inter quas Decretales est  
„Bulla Bonifacii octavi, cujus initium  
„est, *Unam Sanctam*, qua pleraque Scri-  
„pturæ loca continentur, & in perni-  
„ciem Regum, & Regnorum explican-  
„tur, cujusmodi sunt, *Ecce duo gladii*  
„*&c. Constitui te hodie super gentes & re-*  
„*gna, ut evellas, & destruas &c.* Testante  
„Moysè, non in principiis, sed in princi-  
„pio *Calum Deus creavit & terram* & quo-  
„niam Academix statutis, & Senatus  
„consulto decima quinta Septembris

Sæc. XVII. „anno millesimo sexcentesimo vigesimo  
 A. C. 1626. „primo, aliisque Senatusconsultis ca-  
 „vetur, ut Rector, Decani, Procura-  
 „tores, & Censores videant, ne quid  
 „contra leges, Decreta, statutaque  
 „Academiæ peccetur, quibus hoc in-  
 „primis prohibetur, ne quid contra  
 „Regis Regniq[ue] Gallici jura & Digni-  
 „tatem disputetur, proponaturve. Si  
 „quis secus fecerit, extra ordinem  
 „puniendum esse decernitur. Proinde  
 „suzæ fidei, & officii esse Academiam  
 „consulere de ea, quid fieri decerni-  
 „placeat. „

„Recitatis & perlectis Thesisibus ab  
 „ipso Testefort propositis & assertis, Bo-  
 „nifacii octavi Bulla, cujus initium est.  
 „Unam Sanctam: Pauli quarti. Cum  
 „ex Apostolatus, Pii quinti: Motu pro-  
 „prio, & aliis epistolis Decretalibus.  
 „Lectis etiam variis Academiæ statu-  
 „tis Henrici Magni auctoritate, & au-  
 „plissimi Senatus Sanctione anno mi-  
 „llesimo sexcentesimo primo articulo  
 „septuagesimo & septuagesimo primo  
 „firmatis atque editis, demum hanc  
 „in rem Academiæ Rector, Decani  
 „Procuratores, Censores, & Magistri  
 „omnium ordinum ac tribuum  
 „censuerunt.

Cum Theologorum Ordo illas Thesis  
 die prima Decembris pro sua fide, & Se-  
 pte-

pientia improbarit, ac damnarit: cumque Sæc. XVII.  
 ex Bonifacii octavi decretali & aliis qui A. C. 1626.  
 busdam novissime Admonitionis auctor,  
 Santarellus, & alii exitialis Doctrinæ au-  
 ctiores, ac vindices, opinionum suarum fun-  
 damenta repetierint, verbisque nonnullis  
 Sacrorum Codicum ad arbitrium suum per-  
 peram deflexis, ac detortis munierint ac  
 firmarint, cumque variis Academicarum  
 legibus, statutis, ac Decretis, Senatus de-  
 nique amplissimi auctoritate, iudiciisque  
 gravissimis, perniciofa & pestifera Doctri-  
 na, qua Regum Majestas, salusque tenta-  
 tur, multoties damnata fuerit, & in eos  
 perduellionis iudicium, ac pœna constituta,  
 qui vel oratione, vel Scripto illam invehere,  
 docere, aut ex aliorum disciplina quovis  
 pacto repetere, ac defendere ausi fuerint.  
 Rectori autem, Decanis, Procuratoribus,  
 Censoribus, ac Magistris pro sua fide, ac  
 jurejurando, quo adstricti sunt, & ex Se-  
 natusconsultis danda sit opera, ut hanc pe-  
 stem omni ope ac studio avertant, ac dissi-  
 pent, hinc placuit Universitati studiorum,  
 Thesis in his verbis conceptam. Merito dix-  
 eris Scripturam Sacram eam esse, quæ  
 partim Bibliis Sacris, partim Epistolis  
 Decretalibus summorum Pontificum  
 (quatenus explicant sacram Scriptu-  
 ram) continetur, a Fr. Joanne Testesfort  
 exemplo pessimo, pernicioso Consilio pro-  
 positam, & publice defensam ab eodem Te-  
 Gg 5 stesfort

Sæc. XVII. *stefort retractari, eamque Statutis, legibus, & Decretis Academiæ contrariam, ut & a veritate alienam, declarare, Author vero proximis Academiæ Comitiis publice verbis conceptis, & de scripto manu sua Signato, quod Rectori tradit, eam improbet & damnet, eoque scripto præterea declaret, Epistolas Decretales non esse Scripturam Sacram, vel partem ipsius, nec veram Scripturæ intelligentiam, & explicationem contineri supradictis decretalibus, & aliis, quibus in Reges & Regna exitialis doctrina firmatur, ac docetur. Porro nisi ipse Decreto huic intra annum tertium, ex quo sibi vel alteri ex eadem familia Dominicanorum per apparitionem Universitatis denuntiatum erit, pariter satisfecerit, statuit Facultas, ut Rector Academiæ jus, nomen, beneficium, libertatem, ordinem & gradum, veteris jure, more, consuetudine, & exemplo majorum, jam nunc uti postea deinceps, perpetuo interdicto amittat.*

## §. XXXVII.

*Hæc censura jussu Regis revocata*

*Argentre  
pag. 233. l  
& 250.*

**C**um autem Parisiensis Universitas in obtentu eliminandi doctrinas in Reges & Regna exitiosas, per hæc locis & locis inter Doctores dissidiis fomitem præberet, & Parlamentum occasione inde

inde arrepta quæstiones Theologicas Sæc. XVII.  
dijudicandi, decidendique potestatem A. C. 1626.  
sibi arrogaret, quinimo Medica quoque  
& artium Facultas sibi quoque tantum-  
dem concessum existimaret, hinc Fran-  
ciæ Præfules Ludovico Regi supplices  
„exponebant, quod etsi solis Episcopis  
„libros Theologicos dijudicandi aucto-  
„ritas competeret, Regii tamen Ju-  
„dices ejusmodi libros damnandi,  
„auctoresque puniendi jus sibi arro-  
„gent, sub obtentu, quod in illis  
„propositiones Regni legibus contra-  
„riæ contineantur: huic ergo malo, ut  
„remedium opponeretur, rogabant Re-  
„gem, quatenus eisdem inhiheret, ne  
„sub quocunque prætextu ejusmodi  
„libros damnare auderent, sed eos ad  
„Episcopos & Doctores ab eis deputa-  
„tos remittere tenerentur., Tam æ-  
qua videbatur Regi hæc Præfulum pe-  
titio, ut die decima tertia Decembris  
ad Universitatem has transmitteret  
litteras: „Regis Christianissimi præro-  
„gativa nos stimulat ad continuam sol-  
„licitudinem pro Religionis & Eccle-  
„siæ, cujus primogenitus Filius super  
„omnes Reges terræ sumus, puritate  
„conservanda, omnique damno malo-  
„que ab ea avertendo: Querentibus  
„igitur præcipuis Regni nostri Præfuli-  
„bus, quod Universitatis Rector die  
„ter-

Sæc. XVII. „tertia Mensis Decembris in conventu,  
 A. C. 1626. „qui potissimam partem ex Artium Ma-  
 „gistris & Medicis constabat, insuper „  
 „habito nostro interdicto contra Thesim „  
 „a Testefortio propugnatam decretum „  
 „ediderit, vi cuius Testefortius hanc „  
 „Thesim velut Statutis, legibus, & „  
 „Academix Decretis adversam, atque „  
 „a veritate alienam revocare, damna- „  
 „reque, indicta exclusionis perpetua „  
 „pœna jubebatur. Exposuerunt autem „  
 „mihi Præsules in Parisiensi urbe no- „  
 „stra congregati, hunc ausum esse lon- „  
 „ge perniciosissimum, atque exemplum „  
 „oppido periculosum, cum non sine „  
 „totius Ecclesix scandalo homines, qui „  
 „artes a Theologia alienas profitentur „  
 „nullaque doctrina, gradu, caractere „  
 „aut vocatione ad pertractandas ve- „  
 „decidendas Theologiæ & Sacræ Scri- „  
 „pturæ quæstiones instructi sunt, in- „  
 „hilominus desuper suas sententias pro- „  
 „nuntiare, quinimo etiam divulgare „  
 „ac Regiis subditis insinuare audeant „  
 „quod in ipsis scientia veritatis, ne- „  
 „non ea. quæ veritati consona vel dis- „  
 „sona sunt, declarandi authoritas inhi- „  
 „Hoc autem notorii in Ecclesia schis- „  
 „matis argumentum sit, unde Regio- „  
 „rum excidium, fidei everfio, & Ec- „  
 „clesiæ, veræque doctrinæ depravatio „  
 „ortum duxisset: Insuper exponebant „  
 „nobis

„nobis Prælati, quod impræsentiarum, Sæc. XVII.  
„an horum interpretatio bonum vel A. C. 1626.  
„perverfum sensum sit affecuta, discu-  
„tere nolint, sed duntaxat querantur  
„de usurpata eorum potestate, quam  
„sibi arrogarunt, & de malis inde ori-  
„turis, proin Præfules duntaxat peri-  
„culis, quæ exin Ecclesiæ & Regno  
„imminent, obviare intendant. Qua-  
„propter nos ab ipsis remedium oppo-  
„nere rogati, re mature penſata Ec-  
„clesiæ tunicam, quantum in nobis est,  
„integram servare, cunctisque dissen-  
„sionibus pro eo Zelo, quem a nobis  
„Christianissimi Regis prærogativa de-  
„poscit, & propria nostra devotio ac  
„pietas inspirat, obviam ire intenti,  
„irritum nullumque declaramus Uni-  
„versitatis decretum, omnibusque hanc  
„causam prosequendi facultatem adi-  
„mimus, præcipientes, ut præfatum  
„decretum ex Universitatis tabulis sub  
„pœna carceris eradatur, omnia e-  
„iusdem exemplaria supprimantur, nec  
„ultra hoc decretum, indicta mortis  
„pœna a Typographis edatur, vel di-  
„vulgetur. Insuper Rectori, ejusque  
„Successoribus, & Universitatis con-  
„ventui inhibemus, ne deinceps ullam  
„propositionem aut quæstionem, quæ  
„Sacras literas, fidem & Religionem  
„Catholicam, Ecclesiæ vel Theologiæ  
„doctri-



Sæc. XVII. „doctrinam concernit, agitent, disci-  
 A. C. 1626. „tiant, aut decidant, ni tanquam le-  
 „ditiosi & publicæ quietis turbatores  
 „puniri malint. Prohibemus etiam  
 „iisdem, ne quæstiones supremam re-  
 „gni nostri Regumque Franciæ aucto-  
 „ritatem, potestatemque concernentes,  
 „agitare, pertractare componere, dispu-  
 „tare, vel decidere absque nostra ex-  
 „pressa licentia præsumant, nobis au-  
 „tem reservamus, ut quæstiones &  
 „controversam Thesium harum doctri-  
 „nam per eos, ad quos attinet, ex-  
 „minari curemus, ac congruo reme-  
 „dium prospiciamus, ne deinceps ulla que-  
 „stio vel propositio, quæ ejusmodi dis-  
 „sidia refricare, pacemque turbare pos-  
 „set, publici juris fiat, interim vos  
 „huic causæ supersedeatis velim, præ-  
 „sentesque literas ad Universitatis aucto-  
 „referre studeatis, „

## §. XXXVIII.

*Universitatis appellatio ad Regem  
 contra ejusdem literas.*

*Argentre*  
 p. 244.  
*Eckard*  
*Script. Ord.*  
*Præd. t. 2.*  
 p. 539.

Die quarta Januarii anno sequentis  
 Universitatis Rector omnibus Cle-  
 ricis sibi & Universitati decretum Secretarii  
 Regis Consilii fuerit denuntiatum,  
 quo severe caveretur, ne Universitas  
 Pari-

Parisiensis de doctrina Joannis Teste- Sæc. XVII.  
fortii quicquam ageret, aut argueret: A. C. 1626.

His expositis Rector subjunxit: Absit  
ut Parisiensis Academia in re tam gravi  
continere se possit. Imo pergite, Et mihi,  
si placet, corpore animisque adeste, rem  
omnem, ut gesta est Regi Christianissimo  
narrabo ordine. Postea omnes & singuli  
fortem clarissimi Rectoris in rem lite-  
rariam animum maxime laudaverunt,  
seque ei ad Regem adeunti proxima  
die non defuturos polliciti sunt.

Igitur Rector unacum omnibus Ma-  
gistris ad Regis cubile accesserunt, a  
Marillaco Regii Sigilli Custode, Schom-  
bergio, Buliono, aliisque introducti:  
Tam vero cunctis in genua provolutis,  
mox tamen surgere jussis, Rector ita  
Regem alloquebatur: „Hucusque Uni-  
„versitas in causa propria, hodie ve-  
„ro in causa tua supplex ad Majestatis  
„tuæ pedes provolvitur: Acriter mole-  
„statur Universitas non alia ex causa,  
„nisi quia tibi fideliter deservit: jube-  
„tur revocare decretum suum editum  
„contra abominabilem & Sacratæ tuæ  
„Personæ perniciosam doctrinam, quæ  
„ligam tantopere Gallico Regno infe-  
„stam parturivit, Nos vero ignomi-  
„niose ideo perstringimur, eoquod te  
„esse supremum nostrum Caput, quod  
„a nemine exauctorari potest, propu-  
„gna-

Sæc. XVII. „gnaverimus, hoc autem malum est  
 A. C. 1626. „adeo grande, ac tantopere invaleuit  
 „ut sola Majestas tua remedium op-  
 „ponere valeat; minæ vero & violentiæ,  
 „quæ nobis inferuntur, ut ad tuum pe-  
 „trocinium recurramus, nos compe-  
 „lunt. Ut autem omnibus de dicti ve-  
 „ritate, nostraque erga te fidelitate  
 „constet, supplicamus, ut a tuo Prae-  
 „lamento causam nostram dijudicari  
 „permittas.„ Ad hæc respondit Rex,  
 „gratum habeo vestrum erga me affectum &  
 „solicitudinem, displicet autem, quod in  
 „rebus fidem concernentibus vos ingeratis, quod  
 „tamen ad Theologos pertinet, cetera vobis  
 „referet Sigilli Custos. Hic vero ad Rec-  
 „torem, ceterosque conversus respon-  
 „dit, decretum fecistis, quod tamen facere  
 „non potuistis, cum non sitis Theologi, sed  
 „super vestrum decretum falso innititur fide-  
 „lamento; dixistis enim, Testesortii Thesi  
 „a Sorbona fuisse damnatam, quod falsum  
 „est. His mox subjunxit Rector, in Theo-  
 „logiæ Doctores, hi rei gestæ gnari sunt,  
 „ait Marilacus Rectorem interrompente  
 „scitis omnes, inquebat, quod Theologi  
 „Facultatis Conclusiones nil nisi simplices pro-  
 „positiones sint, donec in proximis comitiis  
 „revideantur, scitis etiam quod die prima  
 „Decembris fuerit duntaxat propositum, hæc  
 „Thesi esse intolerabilem, non autem quod  
 „sit a vero aliena, prout tamen Universitas  
 „sensit.

*consuetudo: Rex ipsam thesin quidem reprobavit, ut ea tamen discutatur, sibi reservat, nec de ea ultra agi vult: de cetero si qui vobis minas vimque intulerunt, denuntiate illos, & satisfiet vobis: ubi vero Rector sermonem suum prosequi parabat, Marillacus respondit: jussu Regis tibi impono silentium: tum quidam Doctor Marillaco dixit: non interrumpas Rectorem, quem Rex audire non dedignatur: ast reposuit Rex, tuum non est loqui, dumque Rector rursus supplicare vellet, Rex respondit: Jam sufficit. Universitas autem, subjunxit Rector, fecit, quae sui muneris ac fidei erant. Finito hoc colloquio Facultas Theologica rursus Regi libellum supplicem porrexit, in quo Doctores Universitatem, nec vocatam nec auditam, fuisse condemnatam questi, sui decreti aequitatem vindicare nitentur, supplices, ut Rex totam causam ad Parliamenti judicium remittere vellet. Verum Rex die decima tertia Januarii editis literis denuo suum decretum die decima octava Julii promulgatum innovavit, ac Facultatem per quosdam a Regis Senatu deputatos moneri curavit, ne quid contra auctoritatem Regis aut dignitatem Ordinis Theologici agere praesumeret: Parendum igitur erat Regi, cujus jussu censura, utpote a Judice incompetente lata, revocari*

*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Hh de-*

Sæc. XVII.  
 A. C. 1626.

**Sæc. XVII.** debuit: tum vero novi in Testefortium  
A. C. 1626. tumultus fuere excitati, sparsumque in  
 vulgus, eum in gravem morbum, imo  
 & dementiam incidisse: quocirca Uni-  
 versitatis Rector die vigesima tertia  
 Octobris in Sorbonæ comitiis exposuit,  
 se a Viris fide dignissimis accepisse Prae-  
 trem Joannem Testefort e familia Do-  
 minicanorum, non ex accidente aut  
 ex febre, sed ex depravato cerebri ab-  
 sectu in dementiam sæpius incidisse,  
 plurimumque Universitatis interesse, di-  
 ligenter cavere, ne quis mentis alie-  
 natione laborans, in Universitatem ad-  
 mittatur. De hac re omnes, & sin-  
 guli ita censuerunt, monendum esse  
 Sapientissimum Theologorum Ordinem,  
 ne prædictum Testefort, cum non sit  
 sanæ mentis, suo ordini adscribat, &  
 nisi velit providere suo honori, Uni-  
 versitatem provisuram sibi.

Die autem quarta Novembris Gene-  
 rius Forgerus Facultatis Syndicus pro-  
 tulit testimonium luculentum nobilitatis  
 Medici Domini Cousini asserentis, de-  
 ditum Fratrem Joannem Testefort his  
 diebus elapsis gravissimo corporis & a-  
 nimi morbo correptum, ita convalesce-  
 re, ut posset vacare studiis, & etiam  
 de actu Sorbonico respondere: Denique  
 que honorandus Magister Salomon Le-  
 vin Prior, Ægidius de Amore, Mauri-  
 cius

cus Brachet, & Balthasar Langlois Sæc. XVII.  
Regentes Dominicanorum eundem A. C. 1626.  
Testefort asseruerunt, esse mentis com-  
potem, & confirmata valetudine, pe-  
tieruntque ut Facultas permitteret, eum  
respondere de suo actu Sorbonico. Quo  
quidem Facultas viso & lecto Universi-  
tatis Decreto, & Medici testimonio,  
qui certiolem factam volebat eandem  
de Sanitate animi recuperata a Fratre  
Joanne Testefort, ac fide publica data  
a Domino Priore, & tribus Regenti-  
bus Dominicanorum nihil esse timen-  
dum in eo, quia valde sibi constaret,  
& quin optime valeret ad responden-  
dum de Sorbonica, in partem mitio-  
rem inclinans indulfit, ut responderet.

Cum autem Testefortius denuo de-  
mentia laborare diceretur, Mense No-  
vembri a suis Superioribus e Conventu  
Parisiensi ad Lugdunensem remissus est,  
quem postea Facultas ab Academiæ  
Albo, suoque gremio in perpetuum  
submovit, penitusque sine omni spe  
postliminii rescidit.

## §. XXXIX.

*Congregatio Presbyterorum Sæcula-  
rium Missionis instituta.*

Jamjam per integrum sæculum hære-  
sis contagio, armorumque licentia, Heliot Hist.  
des Ordr.  
Relig. t. 8.  
pag. 64.

Hh 2

ac

Sæc. XVII. ac intestina bella in Galliis tantam mo-  
 rum corruptionem induxerant, ut ad  
 restaurandam Cleri populique discipli-  
 nam, ovesque, quas sectæ furor me-  
 rumque depravatio ab ovili abstraxerat,  
 reducendas Pastorum nec vigilantia nec  
 numerus sufficeret: eapropter Dei pro-  
 videntia, quæ Ecclesiæ suæ nunquam  
 deest, in Evangelici laboris subsidium  
 opportune suscitabat Sanctum Vincen-  
 tium a Paulo natione Gallum, Poëti  
 in Aquitania natum. Hic jam a puero  
 piis charitatis operibus intentus, ad-  
 lescentior factus Evangelizandis pa-  
 peribus totum sese sacrabat, ac præ-  
 primis a Joviniacensi Comitissa roga-  
 tus, Follevilæ in Ambianensi Diocesi  
 ad agrestem hunc gregem in festo con-  
 versionis Divi Pauli se contulit, atque  
 ad perfringendas dissonas voluntates  
 sermonum suorum melli tam potentem  
 Apostolicæ reprehensionis aculeos in-  
 torlit, ut discusso mentis torpore similes  
 omnes incolæ pudibundi ad meliorem  
 frugem redirent. Prosper hic primæ  
 Missionis successus novæ Congregatio-  
 nis auspiciū erat; Comitissa enim  
 quam proficua, imo & rudi populo ne-  
 cessaria esset Sacra ejusmodi expeditio-  
 nis persuasa, sexdecim librarum mil-  
 lia Jesuitis dare constituit, ea lege, ut  
 in ejus prædiis quinto semper anno  
 Apo-

Apostolicum hoc opus exercerent: his Sæc. XVII.  
 vero id recusantibus, Comitissa hæc A. C. 1626.  
 pecunias eundem in finem Vincentio  
 tradidit, qui hortante Petro Berullo  
 Congregationis Oratorii Præposito,  
 quosdam Alumnos sacri hujus laboris  
 Socios sibi aggregavit; confluentibus  
 autem quamplurimis Ecclesiasticis tam  
 pietate quam doctrina conspicuis, Co-  
 mitissa æque ac ejus Maritus adjunctis  
 quadraginta librarum millibus die pri-  
 ma Martii anno Christi millesimo sex-  
 centesimo vigesimo quarto eis in Pari-  
 sina Urbe quoddam Collegium erexit,  
 sequenti demum anno die decima septi-  
 ma Aprilis Joannes Franciscus Gondius  
 Parisiensis Archiepiscopus consensum,  
 ac foundationis diploma expediri jussit,  
 ipseque hoc anno die vigesima quarta  
 ejusdem Mensis novam hanc Congre-  
 gationem approbavit. Postea aucto  
 Alumnorum numero Urbanus VIII. Pa-  
 pa hanc Societatem in Congregationem  
 subnomine Presbyterorum Sæcularium  
 Missionis Mense Januario anno Christi  
 millesimo sexcentesimo trigesimo secun-  
 do diplomate Apostolico erexit, eam-  
 que Ludovicus XIII. decimo post anno  
 Mense Majo regiis literis stabilivit.  
 Præcipua hujus instituti lege hi Sacer-  
 dotes obstringuntur, ut agrestes homi-  
 nes Catholicæ fidei præceptis institue-  
 rent,

Hh 3



Sæc. XVII. A. C. 1626. rent, in urbibus tamen, ubi Archiepiscopi vel Episcopi resident, nec Verbum Divinum prædicent, nec ullum Sacramentum administrent: ceterum hæc Congregatio hodieum ultra octoginta numerat Collegia in novem Provincias divisa. Domus vero Sancti Lazari, quam eis Canonici Regulares Congregationis Sancti Victoris die septima Januarii anno hujus sæculi trigelimo secundo cesserant, ob ædificii vastitatem, & Generalis sui prælectionem velut Caput Congregationis Missionis respicitur.

## §. XL.

*Urbani VIII. Papæ Constitutiones.*

*Bull. Magn. Urb. VIII. Meteran. Hist. Belg. pag. 501.* Præter singulare propagandæ fidei institutum, quo Urbanus Papa incitatus literis in Japoniam missis Christianos ad Martyrium animabat, insuper Pontificiam ditionem Urbinatæ Ducatu adgebatur, ultro cedente Francisco Maria de Rovere, eoquod ipse tutius hæc ditionem a Romano Pontifice se posse possideri, quam a mortuo expectari censebat: Ardentiori autem Zelo De gloriam, Sanctorumque honorem promoturus Pontifex, Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitana Monialem in Beatarum Album retulit, ac

ac de ea per universam Etruriæ ditio- Sæc. XVII.  
nem Officium, Missamque celebrari A.C. 1626.  
indulfit. Die autem vigesimo tertio  
Martii indicta anathematis pœna inhi-  
bit, ne quis ex FF. Prædicatorum  
Bibliothecis quoscunque libros extra-  
hat: cum vero quidam Religiosi in  
Hispaniarum Regnis privilegia a Sede  
Apostolica, Nuntiis aut Superioribus  
concessa obtenderent, eorumque vi se-  
se a fuorum Superiorum obedientia exi-  
mentes, pro libitu suo e Monasteriis  
cum sociis sibi bene visis non petita Su-  
periorum licentia exirent, vel sæcula-  
res ad monasteria admitterent, de uno  
ad aliud Monasterium transirent, nec  
cum ceteris choro, aliisque Sacris  
exercitationibus interessent, cuncta  
hæc privilegia Pontifex die trigesima  
Julii abrogavit, simulque privilegia,  
quæ Ultramontani Assistentes Genera-  
les Ordinis FF. Eremitarum Sancti Au-  
gustini, expleto eorum officio sibi ar-  
rogabant, die vigesima quinta Novem-  
bris revocavit, præcepitque, ut mu-  
nere suo defuncti ad suas redirent Pro-  
vincias, concessit autem Pontifex Fra-  
tribus discalceatis ex Ordine Redemptio-  
nis captivorum, ut in Africa, aliisque  
Turcarum terris Christianos post Sacra-  
mentalem eorum confessionem ab om-  
nibus delictis, etiam in Bulla cænæ

*Vid. Supra*  
*l. 194. §. 58.*  
*p. 577. t. 57.*

Sæc. XVII. contentis absolvere valeant. Exstat  
 A. C. 1626. quoque in Tomo V. Bullarii Magni  
 Breve Canonisationis S. Francisci Xa-  
 verii ab Urbano VIII. promulgatum.

## §. XLI.

*Variae Sacrarum Congregationum  
 decisiones.*

*S. Congreg.  
 Rit. Episc.  
 & Concil.*

Emergentibus subinde variis circa ri-  
 tus ac disciplinam Ecclesiasticam  
 dubiis, Sacrae Congregationes hacten-  
 us non plures ediderunt decisiones, & pro-  
 mo quidem die vigesima octava Martii  
 Sacra Rituum Congregatio declaravit  
 Invitatorio, & Antiphonis in Officio  
 parvo B. V. non esse addendum *Al-  
 luja*. Jam dudum Toleti irreperat cor-  
 ruptela, qua Nobiles ad Ecclesiam Ca-  
 thedralem confluentes pro majori salu-  
 ac commodo sellas, strata & pulvina-  
 ria præmitti curabant, Canonicis se-  
 tem id nemini, nisi Regiis Personis &  
 Magistratibus, concedentibus, Nobiles  
 se a præfata Ecclesia retraxere: tan-  
 dem vero Canonici ad revocandos No-  
 biles indultum hoc ad omnes etiam  
 Officiales, eorumque uxores & Filios  
 extendere statuerunt. pro confirmando  
 hoc favore recurrerunt ad Sacram Ri-  
 tuum Congregationem, quæ tamen  
 tum nullum dedit responsum, anno  
 autem

autem Christi millesimo septingentesi-  
 mo die vigesima tertia Februarii moto  
 rursus hoc dubio, id nullatenus con-  
 cedendum esse respondit: declaravit  
 quoque eadem Congregatio die vigesi-  
 ma quarta Aprilis, quod Sacerdotibus  
 Pileolum in Missa concedendi facultas  
 ad solum spectet Pontificem: Sacra  
 vero Concilii Congregatio die undeci-  
 ma Julii statuit, quod Monialium Con-  
 fessarii ab eis sine rationabili causa  
 removeri nequeant: nec etiam loco-  
 rum Ordinarii prohibere valeant, ne  
 Regulares peregrini in Ecclesiis suo-  
 rum Ordinum Missas celebrent absque  
 eorum licentia, id tamen valeant, si  
 ibi non habeant Ordinis Ecclesiam: ita  
 die vigesima octava ejusdem Mensis  
 Congregatio de propaganda fide decla-  
 ravit, censuit quoque Congregatio Con-  
 cillii, quod Episcopus in defectum Sa-  
 cerdotum Parocho duarum Parochia-  
 rum distantium concedere possit, ut  
 diebus festis bis celebret, si populus  
 unius Parochiæ ad alteram commode  
 accedere nequiret: Pariter die nona  
 Novembris decisum est, quod qui ab  
 excommunicatione solvi petunt, in for-  
 ma Ecclesiæ consueta sint absolvendi.  
 Denique decima Decembris die Sacra  
 Congregatio de Propaganda fide de-  
 claravit, quod Episcopus etiam sine  
 Hh 5                      Mitra,

Sæc. XVII. Mitra, sed adhibita duntaxat Stola Sacramentum Confirmationis administrare valeat.

§. XLII.

Decreta Synodi Diœcesanæ Sedunensis in Vallesia.

Schanat. tom. 9. Concil. Germ.

Hildebrandus Iost seu Jodocus a Francisco Salesio Gebennensi Episcopo in Sedunensem Præfulem factus, primas ab obtento Pontificatu curas in lustranda Diœcesi, ac grege suo ab hæresis lue præservando posuit: Et fine die vigesima quinta Aprilis hoc anno Diœcesanam habuit Synodum, in qua plurimas edidit constitutiones, quarum tamen nonnisi observatu digniores recensebimus. Igitur Synodus prædicta pecuniarum multa omnibus prohibet, ne sub quovis obtentu Superiorum urbes accedant, cœnam faciant, vel infantes ibi baptizandos, aut mortuos sepeliendos adportent. Nominavit etiam Canonicos, ut morituro Episcopo, competenti numero assistant animamque ejus Deo commendent, & claves ad jura Episcopalia quamprimum ab Oeconomo exigant, necnon in archiepiscopali, vacante Sede, duo semper permaneant, remque ita gerant, ut Successor Episcopus plena auctoritate,

plenisque juribus possessionem pacifice <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 capere possit. Statuit insuper Syno- <sup>A. C. 1626.</sup>  
 dus, ut ad curam animarum nullus  
 admittatur, nisi qui saltem casus con-  
 scientiæ per biennium cum profectu  
 audierit, cantumque choralem didice-  
 rit, atque examen subierit: monuit et-  
 tiam Parochos, ut in catechizandis  
 suo tempore rudibus assidui sint, cum  
 sæpe major ex catechismo, quam con-  
 cionibus fructus hauriatur. Dum ve-  
 ro de Religiosorum reformatione agit,  
 hæc addit: *Nonnullis Religiosis arcta ni-  
 mis videntur Claustra: eam ob rem nul-  
 lum non movent lapidem, ut ad aliqua  
 Beneficia promoveantur, quo tantillum  
 respirationis habere foris possint, dum  
 tunc, redeuntque, atque adeo horas, dies,  
 menses, & annos insumunt, quod par-  
 vum erga Regulam & institutum religio-  
 sum redolet affectum & animum. Sa-  
 tius ergo est, Sæcularibus Ecclesiasticis  
 beneficia dari, ut qui melius, cautius,  
 & citra scandalum deservire possunt,  
 Religiosis vero solitariam in Monasterio  
 vitam agere, Deo per contemplationem,  
 orationem, & omne genus virtutum va-  
 care, choro interesse, ordini suo, institu-  
 toque satisfacere, Christum sequi, & si-  
 nere, ut mortui sepeliant mortuos suos.*  
 Clericis vero sæcularibus inter cetera  
 præscribit Synodus, ut toga saltem  
 infra

Sæc. XVII. infra genu porrecta tegantur, tabet-  
 A. C. 1626. nas non frequentent, *insanas sanitates*  
 (cum honestis & moderatis dissimulatis  
 Synodus) non bibant, cum mulieribus  
 non cohabitent, exceptis consanguineis,  
 nisi hæ haberent pedisequas, nec opificia  
 vel agrestia exerceant; inter libros ad  
 Clericorum usum Synodus etiam Theologia  
 moralem Patris Layman suavit, ritumque  
 seu rituale Romanum præscripsit, doluitque,  
 quod neglecta Divini Verbi prædicatione  
 Veslesiana ditio paulatim labi cæperit,  
 unde serio mandavit, ut Verbum Dei  
 digne ac frequenter populo annuntietur,  
 nec unquam fideles sese concionibus  
 & Christianæ institutioni subtrahant.  
 Præterea Synodus, Sodalitates seu  
 confraternitates, alias atque alias  
 introduci, & si quæ exolevisent, immo-  
 vari præcepit, Parochosque monuit,  
 ut circa extraordinarias processiones  
 quicquam a sæculari Magistratu præ-  
 scribi caveant, quin potius amice  
 temporis, locique ratione utrinque  
 convenire studeant: supplicationibus  
 ad remotum locum instituendis mulie-  
 res interesse, vetuit Synodus, decle-  
 ravitque circa jejunii præceptum, quod  
 illud non transgrediatur ille, qui extra  
 refectorem sæpius, sobrie tamen bibit,  
 & aliquando, si haustus obesset, buccellam

cellam panis sumit: illam vero consue-  
tudinem tolli jubet, qua nonnulli tri-  
bus ultimis quadragesimæ diebus sine  
omni cibo cum fanitatis discrimine  
transigunt. Insuper Missas siccas de  
Spiritu Sancto, aliasque ejusmodi pas-  
sim in hac Diæcesi celebrari solitas,  
interdixit Synodus, quæ etiam inter  
casus reservatos numeravit, si conju-  
gati ob dissidium non cohabitent, vel  
Parochus sine expressa Parochi proprii  
licentia Parochianum non suum Bapti-  
zet, vel matrimonio solemniter jungat,  
communicet, aut absolvat extra mor-  
tis articulum, vel si Notarii diebus Do-  
minicis, festisque mane tempore Divini  
officii rusticorum causas scribant &c.  
demum etiam Synodus Sponsalia clan-  
destina, etsi carnalis conjunctio inter-  
cesserit, nulla declaravit, jussitque, ut  
campanarum pulsus in tota Diæcesi  
conformis sit Ecclesiæ Cathedrali, *ne  
adventæ & peregrini propter diversum in  
pagis pulsum, diversos quoque Episcopatus  
existiment.* Circa absolutionem ab ex-  
communicatione Synodus ita edixit:  
*absolvere ab excommunicatione minore pot-  
est quivis Sacerdos habens potestatem ab-  
solvendi a mortali peccato, si pœnitens mor-  
tali laboret; si enim veniali tantum, tunc  
a quovis Sacerdote etiam non approbato  
potest absolvi; talis enim respectu peccati*  
venia-

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.



Sæc. XVII. *venialis est proprius Confessarius.* Exstat  
 A. C. 1626. tamen S. Congregationis Concilii Tri-  
 dentini decretum (\*), vi cuius Ordina-  
 riis præcipitur, ne *permittant, ut ve-  
 nialium confessio fiat simplici Sacerdoti non  
 approbato.*

## §. XLIII.

*Hugonotarum Pseudo - Synodus Ca-  
stro - Albiensis.*

*Synod. Nat. des Eccl. Reform. pag. 328.* Hoc item anno Hugonotæ in Francia  
 connivente Ludovico XIII. Rege  
 die decima sexta Septembris Calis-  
 Albiensium suam Pseudo - Synodum  
 Nationalem numero vigesimam quinquam  
 celebrabant. Aderat a Rege de-  
 putatus Gallandus Navarrensis Regni  
 Præfectus, qui Calvinistis numerum  
 plusquam sexaginta congregatis inhibuit,  
 ne de aliis, quam Ecclesiæ sue  
 disciplinam spectantibus agerent, nec  
 clandestina in urbe conventicula haberent,  
 minus vero consilia Regiæ auctoritati &  
 obsequio, Regni que tranquillitati contraria  
 euderent. His expositis nomine Regis eosdem  
 hortabatur. I. Ut cum Catholicis majorem  
 quam

(\*) Anno 1679. die 12. Februarii hoc decretum editum est, ab Innocentio XI. approbatum.

quam hactenus, concordiam foverent. Sæc. XVII.  
 II. Nulla consilia vel fœdera cum ex- A. C. 1626.  
 teris pangerent III. Nec politicos  
 conventus agerent, nec in publica nego-  
 tia Regni, uti in nupero tumultu fe-  
 cissent, sese ingererent, sed potius po-  
 pulis obsequium in Regem suum instil-  
 larent. IV. Absque speciali Regis  
 concessione Prædicantes Regno non  
 exirent, nec Synodus Prædicantes  
 Gallos etiam rogatos ad Principes ex-  
 teros vel Respublicas nequidem ad  
 tempus mitteret. Ad hoc Calvinistæ  
 acti Regi gratiis polliciti sunt, quod  
 injuriarum immemores, Catholicis jux-  
 ta Dei Verbum, Regisque voluntatem  
 omne obsequium & charitate & huma-  
 nitate inspiratum exhibituri sint: que-  
 rebantur tamen, quod Rex, cujus jus-  
 sis omnem fidem & submissionem spon-  
 debant, quædam eorum Tempora Sa-  
 cerdotibus Catholicis vindicari, aut  
 solo æquari jufferit. Insuper liberius,  
 quam verius profitebantur, quod nulla  
 unquam Calviniana Ecclesia cum Regni  
 Gallici hostibus conspirarit, aut quietem  
 publicam perturbarit: ejusmodi  
 quidem conspirationem Montis Rega-  
 lis Calvinistæ in sua Synodo fuissent  
 confessi, a Regio tamen Deputato ad  
 hanc confessionem coacti. Dein quos-  
 dam ad Regem decernebant, qui que-  
 reren-

Sæc. XVII. rerentur, quod eorum Ecclesiæ iam  
 A. C. 1626. a pluribus annis nullam opem a Regi  
 Majestate accepissent; neglectæ tamen  
 protectionis culpam subdole in Regios  
 Ministros detorquebant, & quantum-  
 cunque speciosis verbis fidem suam  
 Regi obstrinxissent, seque cum Regis  
 hostibus nullum omnino commercium  
 habituros polliciti essent, nihilominus  
 Angoulinum tanquam Rupellensium,  
 qui tum Regem aperto Marte oppug-  
 nabant, Deputatum ad suam Synodum  
 unanimi suffragio admittebant. His  
 præmissis Synodus quædam statuta  
 circa Ecclesiæ disciplinam antehac sta-  
 bilita correxit, decretumque edidit pro  
 refrænanda vitæ licentia inter suos  
 enormiter grassante. Decreverunt e-  
 tiam, grates rependendas esse Domi-  
 no Antonio *Arnaldo*, eoquod singula-  
 rem prorsus affectum erga illorum Ec-  
 clesias testatus fuisset: inde fors ortum  
 habuit, quod Societatis Scriptores *Ar-  
 naldum* Hugonotis accensuerint: de  
 cetero Synodus omnes ferme sessiones  
 unice impenderat in excipiendis su-  
 rum Prædicantium querelis, & calu-  
 gandis eorum delictis, & primo quæ-  
 dem *Petrum Peris* in perpetuum a suo  
 Ministerio & Sacramentorum usu arro-  
 vit, eoquod cum Catholicis nimis fa-  
 miliariter conferens, errores Papisimi  
 am-

amplecti videretur, & de profanatio- Sæc. XVII.  
 ne, insolentia & vanitate, necnon de A. C. 1626.  
 conjuratione contra Calvinianos Eccle-  
 fias, earumque membra convictus li-  
 bellum seditiosum conscripisset. II. Pe-  
 jus & Percius Prædicantes acriter re-  
 prehensi in Synodo comparere ju-  
 bebantur, secus, tanquam de crimi-  
 nibus imputatis convicti essent, ha-  
 bendi. III. Peirolus ob pertinaciam,  
 perversam doctrinam in suis sermoni-  
 bus prolatam, aliaque enormia crimi-  
 na. IV. Fabrius propter varia scele-  
 ra. V. Stephanus Giraud ob adulte-  
 rium, aliaque atrocissima crimina. VI.  
 Tuffanus propter varia scandala. VII.  
 Jacobus Joli, eoquod ad Catholicam  
 fidem reverti, aliosque Ministros ad  
 eandem apostasiam inducere voluerit,  
 & sermones profanos atque infames  
 habuerit, necnon mulierum pudicitia  
 insidiatus fuerit. VIII. Joannes Bon-  
 nius ob avaritiam, & sordidum que-  
 stum. IX. Petrus Petit ob neglectum  
 Ministerium, & commercium cum Ca-  
 tholicis, necnon calumnias in Calvi-  
 nianos sparsas. X. Natalis Gautierus  
 ob schisma & rebellionem contra Ec-  
 clesiam Calvinianam disciplinam. XI.  
 Hugo Babinetus propter defectionem  
 ad Catholicos. XII. Nicolaus Jacor-  
 naisus, ob derelictum Ministerium.

*Hist. Eccles. Tom. LVIII. li XIII.*

**Sæc. XVII.** XIII. Joannes Garfin ob apostasiam & A. C. 1626. incorrigibilitatem. XIV. Paulus Perius ob adulterium, perjuriam, mendacia, calumnias, aliaque atrocissima crimina. XV. Georgius Arbaldus propter usuram, latrocinia, & libellos famosos. XVI. Bovillierus, & Culinus ob divagandi licentiam, & denique Bonitonius ob apostasiam; hi omnes aut suo Ministerio fuere suspensi, vel peccatus ab eorum Ecclesia resecti.

Præterea hæc Pseudo-Synodus contra Monachos apostatas vulgavit decretum, vi cujus Provincia, in qua primo errores & Religionis Romanæ idololatricam (ita modeste loquebantur Catholici Regis subditi) ejurarunt, si Provincia, ubi actu degunt, illos sustentare aut non posset, aut non vellet, eosdem alere teneretur: statuerunt quoque egregii hi Patres, Consistorii relinquendum esse, quam poenam decernerent in eos, qui Catholicorum Baptismis, connubiis vel exequiis adhiberi sint: postea pro placanda Dei ira ob Pastorum negligentiam, populique iniquitatem in eos effusa præceperunt, ut prima feria quinta Mensis Martii in omnibus Regni Ecclesiis solemne jejunium servaretur: pariterque pecunias collegerunt, ut Rupellensibus, Montalbanis & Castrensis Regi rebellibus

opem ferre possent. Hæccine erat fides Sæc. XVII.  
 Regi promissa? Quoniam vero inter A. C. 1626.  
 diisciplinæ suæ Ecclesiasticæ canones  
 præcipuus esset, ne Parentes filios suos  
 ad Catholicorum Collegia, studiorum  
 caussa mitterent, Bearnenses vero Præ-  
 dicantes in ejusmodi Parentes censu-  
 ris animadvertere negligenter, hinc  
 eos, ut hunc Canonem *utpote Dei verbo*  
*& primitivæ Ecclesiæ Canonibus & praxi*  
*suffultum* exactius observarent, hortati  
 sunt, simul quosdam ad Regem able-  
 gare ausi, qui liberum suæ disciplinæ  
 exercitium, eorum Ecclesiis relinqui  
 peterent. Hortabantur insuper Davi-  
 dem Blondellum Ministrum, ut immoto  
 studio Historiam suam adversus Ca-  
 tholicos, quos sæpius *veritatis hostes* no-  
 minabant, perficeret, hancque in rem  
 Synodus ei non minus ac Daneo Prædi-  
 canti typi expensas se soluturam polli-  
 cebatur. Eadem liberalitatis pronitate  
 excitabant Michaelem Faucheur, ut  
 vastum volumen de Eucharistia a Car-  
 dinale Perronio editum refelleret, qui  
 etiam post longos ac dolorosos partu-  
 rientis conatus tandem exsuccum eni-  
 xus est tractatum: magis adhuc mise-  
 rando successu laborabat Godefridus Ge-  
 nevensis Doctor, quem Synodus im-  
 pense rogabat, ut *omnes artes & fallaci-  
 as, quibus Baronius Cardinalis aliique*  
 Li 2 plu-

Sæc. XVII. *plures Ecclesie Romanæ Doctores Historiam primitivæ Ecclesie depravarunt, detegere, ac publici juris facere velit: Verum quam turpiter & nequiter Sæctatores Historiam Ecclesiasticam circa primitivæ Ecclesie disciplinam falsis, detortisque suis interpretationibus & corruperint, quis est, qui ignoret? Tandem vero egregii hi Patres die quinta Novembris finem suæ Pseudo-Synodo imposuere, in qua præter Ministrorum castigationes potissimam Synodice sollicitudinis suæ partem in procuranda Prædicantium, suarumque uxorum ac prolium sustentatione impenderunt, & magno conatu magnas tractarunt.*

## §. XLIV.

*Principum, ac illustrium Virorum obitus.*

*Blanc. Hist. de Bav. t. 4. pag. 117. Lotich. rev. Germ. p. 483. Adlzr. Annal. Boic. part. 3. l. 11. Bayre Hist. d'Allem. t. 9. pag. 565.* **I**nter Ecclesiasticos S. R. J. Principes qui hoc anno extremum vitæ diem morte confecerunt, immoto in Religionem, & Germanici Imperii salutem affectu nulli secundus erat Joannes Schwicardus Archiepiscopus, atque Elector Moguntinus. Fuit ille ex stirpe illustrissima Baronum de Cronenberg natus, atque in eximia erga Deum pietate & Religione educatus; con-

cordiæ, pacis, publicæque salutis stu- Sæc. XVII.  
 diosissimus, ac insuper oris facundia, A.C. 1626.  
 morum comitate, & prudentiæ præ-  
 stantia, imo quod præcipuum erat, vi-  
 tæ innocentia & sanctimonia. Immodum  
 commendatus: horum quoque merito-  
 rum suffragio non modo Catholicorum,  
 sed & Protestantium Principum, qui-  
 buscum sæpe de rebus gravissimis age-  
 bat, amorem, admirationemque sibi  
 conciliabat & magno tandem relicto sui  
 desiderio die decima septima Septem-  
 bris animam Deo reddidit anno ætatis  
 suæ septuagesimo quinto, Ecclesiastici  
 vero Regiminis vigesimo tertio. Utilem  
 profus operam Catholico fœderi præ-  
 stitit, atque Imperii comitiis semel,  
 Septemviralibus quarta vice non sine  
 ingenti laude interfuit, binosque Cæ-  
 sares Mathiam, & Ferdinandum legit,  
 unxit, & coronavit, ac præ ceteris Aca-  
 demicæ Argentoratensi & Altorfinæ spe-  
 cialia a Ferdinando II. Imperatore pri-  
 vilegia procuravit. Tandem suscectus  
 illi erat Georgius Fridericus a Greif-  
 fenclau Wormatiensis Episcopus.

Hujus celeberrimi Præsulis merita  
 æquasse videtur Guilielmus V. Bava-  
 riæ Dux, Princeps vere Magnus, Sa-  
 piens, pius & Religiosus, omnique en-  
 comio dignissimus. Hic imperii onere  
 anno prioris sæculi nonagesimo sexto



Sæc. XVII. in Maximilianum Filium suum rejecto, reliquum vitæ tempus soli Deo, animæque suæ sacrabat, atque asceterio ad eremi normam constructo sese a rerum humanarum strepitu subducens, orationi, corporis mortificationi, frequenti Sacramentorum usui, aliisque pietatis exercitiis continuo vacabat, nec alio solitudinis temperamento usus, nisi quod sæpius ægrotos non modo in Xenodochio utroque S. Spiritus & S. Elisabethæ, sed etiam in suburbis & pagis decumbentes frequenter, non sine magna graveolentiæ molestia visitavit, animique ægritudinem piis motibus, inopiam vero corporis larga sumptibus levavit. Non raro ipsemet tabida ægrotorum corpora de lectulis sustulit, suaque manu nauseantibus cibum ingessit. Insuper Monachii Orphanotrophium pro pupillis, aliamque domum construxit, dotavitque pro peregrinis, quibus frequens adstitit, pedes adventantibus levavit, mensæque accumbentibus epulas intulit, sæpe etiam animam agentibus consolator adstitit, eorumque funibus præsens parentavit. Neque lassus erat in hisce misericordiæ operibus dignissimi Principis pietas juxta ac liberalitas: præterquam enim, quod per totam Bavariam quamplurima Tempia exstruxerit, ornarit, collapsaque restau-

rarit, insuper omnes ferme thesauros Sæc. XVII.  
 in Monacense Jesuitarum Collegium, A.C. 1626.  
 atque augustissimum Templum S. Mi-  
 chaelis a fundamentis, sumptu Regio  
 extractum prodegit, sacramque ædem  
 Divo Carolo Borromæo in Insula Sub-  
 urbana dicatam pene ultimo voto posuit,  
 exornavitque: cum vero vitæ suæ fi-  
 nem instare intelligeret, mira pietate  
 sese ad postremam luctam accingebat,  
 receptisque morientium Sacramentis  
 die vigesima sexta Februarii annos na-  
 tus septuaginta septem a mortali vita  
 ad immortalem transiit gloriam, in am-  
 biguo relinquens, pietate an felicitate  
 major esset.

Hoc item anno vivere, aut potius  
 furere desiit Ernestus Mansfeldius, Spu-  
 rius Petri Mansfeldii toga belloque no-  
 bilissimi Comitis, Patris optimi filius  
 pessimus. Hic sub auspiciis Caroli Mans-  
 feldii in Hungaria militiæ tyrocinnium  
 posuit, atque adolescens Hispaniæ Re-  
 gis in Belgio, & Cæsaris in Hungaria  
 stipendia merebat: cum vero quamdam  
 Præfecturam meritis suis debitam cre-  
 deret, a Rudolpho tamen Cæsare re-  
 pulsam ferret, anno Christi millesimo  
 sexcentesimo decimo relicta Vienna ad  
 Protestantes defecit, ac vindictæ sti-  
 mulo agitatus, pro Bohemis rebelibus,  
 Friderico Palatino, necnon Transylva-

Sæc. XVII  
A.C. 1626

niæ Principe adversus Cæsarem copias  
conscriptit, pluresque Imperii & Im-  
peratoris Provincias, Principumque  
Catholicorum ditiones rapinis, cædi-  
bus, incendiis, & prædationibus exhau-  
sit, assuetusque prædas & latrocinia  
jam ex antiquo, tanquam belli artem  
exercuit, plerumque per fraudes, sæ-  
pius etiam per cædes & cruorem, in  
corporibus præcipue Sacerdotum, quos  
odiis innatis & tralatitiis ad usque per-  
nitiem infectabatur: ad summam, ex  
professio in suo exercitu alebat vagos,  
latrones, & grassatores, qui vitam uni-  
versam in vitiis, animam in prædis &  
fanguine, mortemque in infamia tra-  
figebant: ipse etiam eorum Dux non tam  
victoriis, quam dolosis artibus, peri-  
diis, & indurata rebellandi pertinacia  
amicis juxta & hostibus, terribilem se  
reddidit: tandem a Cæsare tertio præ-  
scriptus, pluribusque præliis fractus,  
dum novas vires contra Cæsarem me-  
decunque contracturus Constantinopoli  
cum Turcis ageret, ac inde Vene-  
tias proficisci pararet, contracto pe-  
stilentiae morbo in itinere apud Ro-  
coviam, ignobilem vicum Zaram inter  
& Spalatum, condito prius militari te-  
stamento Mense Decembri periit, se  
Christianorum quidem sepulcro ac lacri-  
mis dignus, postquam, ut fertur, a  
Bu-

Budensi Mufti, sese Turcicorum Sacro-Sæc. XVII.  
rum Antistite ad Mahometem literas, A. C. 1626.  
ut ab eo ob insigniâ in Turcicam gen-  
tem beneficia, in cælum admitteretur,  
acceptit: Eo nimirum dementiæ sensim  
delabuntur, quos nec secundi nec ad-  
versi fortunæ casus ad summi Dei re-  
verentiam erigere valent.

Haud meliore fato dignus Guelpher- *Meyeran,*  
byti die sexta Maij decessit Christianus *Hist. Belg.*  
Brunsvicensis Dux, Halberstadiensis *lib. 46.*  
Pseudo-Episcopus, qui Friderici Pa-  
latini res reparaturus, arma in Cæsa-  
rem vertit, majori ferocientis animi  
impetu, quam militaris fortunæ gloria.  
Postquam vero ope Daniæ Regis, Ul-  
ricum Fratrem suum natu majorem pa-  
terna hæreditate deturbaverat, altero  
post Mense febris correptus, trigesimo  
ætatis anno vita simul & possessione  
dejectus est. Toto belli tempore aluit  
militem suum non ære proprio, sed dun-  
taxat Clericorum, civium & rustico-  
rum bonis, spoliisque, in Sanctos sa-  
cilegus, atque in Ecclesiasticos cru-  
delis. Fama fert, dum corpus exente-  
ratum est, prodigiôsæ longitudinis lum-  
bricos intra viscera repertos, ut hinc  
Catholicis, in quorum viscera crudeli  
ferro grassabatur, haud temere credi-  
tum sit, hoc ei mortis genus præpro-  
li 5 pe-

Sæc. XVII. perum simul & ominosum ex vincis  
A. C. 1626. Dei ira obvenisse.

Tertia denique Rebellionis victima  
ineunte Mense Decembri cecidit Joannes Ernestus Vinariensis Dux, cui, eo quod Cæsaris proscriptionem morte præverteret, mori profuit, præsertim cum nulla nec domi nec belli celebritate factorum, nisi quod Imperatoris & Ecclesiæ Romanæ hostis esset, innotuisset. Ita uno anno tres Cæsaris hostes acerrimi prius victoribus armis victi & debellati, postea vel præpropera vel infami morte puniti perierunt, ut manifestum fieret, non tam homines, quam Superos pro æqua Cæsaris causa gladium strinxisse.

Pari quidem fatalis legis necessitate, immortalis tamen nominis gloria die septima Augusti Ludovicus Hispaniæ Princeps decessit. Hic præter animi, corporisque dotes æterno sanæ religio insignique suo merito *fidelis Imperii Principis* nomen consecutus est, eo quod superatis Protestantium minus sollicitationibus, Cæsari non sine cubro vitæ ac fortunæ discrimine in adversa & prospera constans ad ultimum usque halitum vitæ adhæserit. Funeratus ejus non modo ipsemet Joannes Georgius Saxonæ Elector magnifico processus mausoleo, sed etiam Georgius eius  
Filius

Filius, cunctique Consilarii ac Ministri Sæc. XVII.  
acerbis lacrimis parentarunt. A. C. 1626.

Hic idem quoque annus exitialis  
exstitit Francisco de Bonne, Duci Le-*Priorat.*  
diguerio Franciæ Commestabili, qui *Gualdo Hist.*  
licet secta Calvinista inter suos primas *Ferd. II.*  
haberet partes, raro tamen exemplo, *p. 1. l. 4.*  
immota fide & obsequio quatuor Re-  
gibus adhæsit, seditiosis Sectariorum  
consiliis semper adversatus. Tandem  
primo Hugonotarum rebellium factio-  
nem, ac demum provecta jam ætate  
ipsam etiam Sectam unacum Fratre  
suo Comite Orvallo, ejusque conjuge  
abdicabat, ad Romanæ Ecclesiæ sinum  
reversus: tandem vero in morbum in-  
cidit, suæque vitæ finem appropinqua-  
re sentiens, Sacris Ecclesiæ Sacramen-  
tis non sine magno pietatis ac poeni-  
tentix sensu receptis, ætate in autum-  
num vertente annos octoginta quatuor  
natus obiit, unice deplorans, quod per  
tot annos Calvinianæ sectæ addictus  
vixerit; quocirca omnes suos domesti-  
cos ante obitus sui horam adesse voluit,  
quos etiam ad fidem Catholicam ut-  
pote in qua sola esset salus, hortabatur.  
Non minus militaris fortitudinis laude  
inclaruit Joannes Jacobus Barbianus  
Comes de Belgio - Joso, qui a Ru-  
dolpho II. Cæsare Hungariæ superioris  
Præfectura honoratus, Protestantes  
Hun-

Sæc. XVII. Hungaros Deo, Ecclesiæ ac Cæsari re-  
 A. C. 1626. belles armorum vi ad obsequium re-  
 vocare nitebatur: unde Sectariorum in-  
 vidiam, odiumque in se concitans,  
 post varios indignantis fortunæ casus  
 relictis Cæsareis signis, in Belgium se-  
 cessit, ubi ab Hispanis cujusdam Pro-  
 vincię administrationem adeptus, de-  
 mum Leodii vitæ suæ finem imposuit.  
 Denique hoc anno die trigesima Octo-  
 bris Ferdinandus Gonzaga obiit, qui ipso  
 anno hujus sæculi quinto Cardinalium  
 Collegio adscriptus, mortuo tamen  
 Francisco Mantuæ Duce ejus fratris  
 purpuram dimisit, anno Christi millesimo  
 sexcentesimo duodecimo Mantuæ  
 num Ducatum adeptus: Edidit laudis  
 fermone versus perelegantes præter  
 orationem in laudem S. Caroli Borromei.

## §. XLV.

*Novi Hugonotarum motus in Gallia*

Ludolph.  
 Schaubühne  
 cap. 5. p. 338.

Vix Nemausensium Calvinistarum in-  
 ror sedatus fuerat, cum rursus  
 vi tumultus apud Vivarienses exci-  
 rentur, authore Brisonio Nobili Hugonota,  
 qui arcem Pufiniam anno præterito  
 occupatam Regi restituere detrectabat,  
 quamvis id initæ pacis leges depone-  
 rent: Ut igitur hujus Viri perfidia, per-

tinaciaque frangeretur, Franciæ Co- Sæc. XVII.  
 mestabilis copias suas arce admovere A. C. 1626.  
 statuit. quarum tamen conspectu ter-  
 ritus Brissonius, deditionem obtulit, ea  
 lege, ut quadraginta coronatorum mil-  
 lia ei penderentur. Hanc conditionem  
 Comestabilis, ut humani cruoris ef-  
 fusionem declinaret, acceptavit, ar-  
 cemque Regis milite firmavit. Re  
 comperta Montalbanus Nobilis itidem  
 Calvinista ex hac Regis indulgentia au-  
 daciosior factus, novam seditionem cieri  
 ausus est, crebrisque ex arce sua eru-  
 ptionibus vicina oppida foede devasta-  
 vit, atque incolas exactationibus immo-  
 dicis exhaustis, suæ violentiæ causam  
 obtendens, quod ei ex Regio ærario  
 quædam pensiones nondum essent per-  
 solutæ; aucta demum temeritate Re-  
 gis significabat, se arcem suam Regi  
 nunquam, nisi pacto pretio, cessuram  
 ac tunc primum se, cum suis aliorum  
 migrare paratum esse. Urgan-  
 te igitur deteriorum formidine, quæ  
 plerumque primis seditionum motibus  
 succedere solent, Comestabilis huic  
 quoque rebeli centum librarum millia  
 numerari iussit.



Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

§. XLVI.

*Poloni a Gustapho Adolpho Suecico  
Rege inopina vi oppressi.*

*Jæger. Hist. Eccl. l. 6. c. 6.*  
*Pufendorff. Hist. de Sued. Lotich. rer. Germ. l. 16. p. 479.*  
*Loccen. Hist. Suec. l. 8. p. 550.*  
*Piafec. chron. pag. 366.*

Ad hunc annum revocanda videntur initia belli Suecici, quod Gustavus Adolphus Rex pecuniis undique copulatis fretus, auriq[ue] Gallici splendore percussus Cæsari, toti Imperio, ac præcipue Romanæ Ecclesiæ inferre simulque Sectarias tenebras in Germaniam, ad divini humanique juris perturbationem invehere statuit: ut veterelicam suam audaciam acueret, Polonis Religione Catholicis ceu cote ad sævitæ incitamentum utebatur: poloniam enim anno superiore Livoniam non alio, quam armorum jure, ac actiones suas latius protendendi cupiditate sibi vendicarat, hoc anno in Prussiam nil tale opinantibus Polonis impit, instructisque hanc in rem octoginta navibus, impositisque viginti sex armatorum millibus Stockholmio solvens Pillaviam primum Prussiæ Ducalis munimentum adorsus est, nulloque negotio cepit, eoquod Calvinianus armatus Gubernator clandestina cum Rege conveniens consilia in hostem belli tormenta plumbeo globo vacua explosisset, eumque apertis oppidi portis ultro recepisset.

set: Delibatis hisce fortunæ auspiciis Sæc. XVII.  
 Gustavus Pillavia unacum classe sua in A.C. 1626.  
 Lacum Fiscavium progressus, apud  
 flumen Passeriam exsensionem fecit,  
 ac Bansbergam primum, postea & Ra-  
 vensbergam, cum repentinus pavor  
 omne defensionis consilium civibus ab-  
 stulisset, nullo negotio occupavit. Pro-  
 motis inde castris Frauenburgum War-  
 miensis Episcopi Metropolin ad dedi-  
 tionem provocat, mox igitur Canonici  
 inopino hoc Suecici exercitus adventu  
 territi res Sacras ac pretiosa quævis  
 Olensteinium transvehiculant, & Hen-  
 ricum de Endenberg Canonicum, qui  
 Ecclesiam Cathedralē ab hostium vio-  
 lentia tutaretur, in urbe relinquunt:  
 Hic vero missis ad Gustaphum Legatis,  
 urbis deditionem offert, ea tamen lege,  
 ut Ecclesiæ Cathedrali parceretur. Id  
 quoque pollicetur Rex, mox tamen  
 violata pacti fide urbs unacum Eccle-  
 sia militum deprædationi exponitur,  
 necnon Ecclesiastici æque ac cives omni  
 crudelitatum genere divexantur, non  
 aliam ob culpam, nisi quod Regi suo  
 fideles, ac Religione Catholici essent:  
 Altera die Gustavus Elbingam petit,  
 ubi cives arreptis quidem armis sese  
 ad defensionem parabant, Consul ta-  
 men ac Senatorum nonnulli, cum se-  
 ctæ suæ libertatem restringi iniquo fer-  
 rent

Sæc. XVII. rent animo, clam cum hoste confi-  
 A. C. 1626. rarunt, seque cum Rege de honestis de-  
 ditionis legibus acturos, mentiti, urbe  
 excefferunt, ultroneam illius deditio-  
 nem Gustavo oblaturi. Rex igitur ab  
 hisce perfidis cum valido præsidio in  
 urbem introductus, statim remotis co-  
 stodiis Urbanis suas imposuit. Tum  
 primum ex Ducali Prussia confluentibus  
 Sectariis Suecicus exercitus mire au-  
 ctus, Marienburgum contendit, quod  
 Albertus Penclavius ducentis pediti-  
 bus firmaverat, dein vero cum Rege  
 liberum cum sarcinis discessum pactus  
 eidem oppidum arcemque de dedit, re-  
 licto in hostium manibus Jacobo Sos-  
 novio Quæstore Regio, omnique tam  
 sua quam Regia pecunia: Pari felici-  
 tate, rapidoque victoriarum cursu Res-  
 Meviam, Dirfaviam, Stumam plures-  
 que alias urbes interceptit.

Percepta Suecorum irruptione Sig-  
 gismundus Poloniæ Rex, cum undecim  
 Polonorum millibus raptim collectis Me-  
 viam versus processit, commissoque ac-  
 cipiti prælio, cum resistendo impar e-  
 set, Dantiscum contendit, ut hanc ur-  
 bem aliunde nutantem in sui obsequio  
 ac fide firmaret. Interim vero Stanis-  
 laus Conjeppolcius legiones subsidarias  
 ex ultimis Russiæ finibus adduxit, et  
 taque hieme Dirfaviam incautum ob-  
 seclit.

fedit, ac Suecum militem pugnae ne-  
cessitatem cautius declinantem, in suis  
praesidiis veluti cinctum tenuit, praes-  
clusisque, quas Gustavus submiserat, co-  
piis Parensem portum occupavit. Exeun-  
te autem Mense Novembri Sigismundus  
Rex Comitia Thorunii celebrabat, ibi-  
dem omnium consensu pecuniis in bel-  
lum decretis. Paulopost Polonos inter  
& Suecos pacificatio tentabatur, irrito  
tamen successu; Polonis Regnum suum  
haereditarium praeter omne fas inter-  
ceptum querentibus, & Suecis econtra  
omnem culpam in Poloniae Regem re-  
jicientibus, eo quod Catholicam Reli-  
gionem introducere, hostemque patriae,  
introducto milite extero se declarare  
cepisset. Interim Conjeczolsius octo  
Suecorum millia, quae Sueciae Rex in  
Pomeraniae finibus conscripserat, in-  
opina vi adortus, fudit, fugavitque,  
belli tormentis, tympanis ac quinquaginta  
tribus vexillis victori relictis.  
Sub idem quoque tempus Konitius Pol-  
scius Polonorum Bellidux Tartaros, qui  
cum quadraginta suorum millibus in  
Poloniam irruerant, ingenti clade  
affecit.

## §. XLVII.

*Atrocissima vexatio Catholicorum in  
Zaponia.*

*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Kk Flo-*

Saec. XVII.  
A. C. 1626.

Sæc. XVII.  
A. C. 1626.

*Grasset Hist.*  
*Jap. p. 2.*  
*lib. 10.*  
*Ludolph.*  
*theatr. c. 13.*  
*S. 2. p. 363.*  
*Montan.*  
*Jap. Hist.*  
*p. 230.*  
*Pufend. in-*  
*trod. l. 6.*  
*c. l. p. 49.*

Floruit in Japonia per septuaginta se-  
me annos spectatissime Religio Ca-  
tholica, plurimis ex Ordine SS. Domi-  
nici, Francisci, Augustini, & ex So-  
cietate in agro Domini tam amplo ac  
fertili egregie laborantibus Operariis  
Apostolicis. Jamjam tredecim Regna  
unacum suis Regulis coronas suas Chri-  
sto submiserunt, eorumque exemplum  
Proceres quam plurimi, Provinciarum  
& militiæ Præsides, ac utriusque se-  
xus Nobiles secuti sunt, frementibus  
licet Bonziis, seu Popis, qui sibi sacri-  
ficiorum oblationes eripi, eorumque  
fabulis superstitiosis, atque mendacis  
fidem haud ultra adstrui vehementer  
indignabantur. Horum furore incen-  
tus Taycosama Rex primo Pastores, ut  
eo facilius oves dispergeret, percutere  
cæpit, illosque omnes ex Japonia emi-  
grare jussit, moxque in omnes Imperii  
sui urbes emisit, qui Viros Apostolicos  
comprehenderent. Ex his viginti qua-  
tuor potissimum ex S. Francisci Familia  
Nangasachi abscissa auricula crucibus  
affligi, atque viginti millia, quingenti  
septuaginta Christianos inter unius mi-  
ni millesimi quingentesimi nonagesimi  
spatium trucidari præcepit. Adeo ter-  
men hæc immanitas Japones a publica  
fidei Catholicæ professione non abster-  
ruit, ut horum Martyrum sanguine in  
Chri-

Christianorum semen verso plusquam Sæc. XVII.  
 quater centies mille Catholici in sola A. C. 1626.  
 Nangasachiana urbe adhuc anno Do-  
 mini millesimo sexcentesimo vigesimo  
 sexto numerarentur. Mortuo autem  
 Taycosama, ejus Successor Dayfusama,  
 postquam Jesuitæ ceteros omnes Reli-  
 giosos Missionarios in Japoniam aditu  
 excludi, a Gregorio XIII. impetrave-  
 rant, gravioribus sub poenis Religio-  
 nem Catholicam prohibuit, cunctos-  
 que Viros Apostolicos proscripsit, mis-  
 so ad omnes Provinciarum Præfectos  
 edicto, vi cujus Christianam gentem  
 penitus excindere jubebantur. Tum  
 vero exiliis, flammis, crucibus, aliis-  
 que tormentorum generibus in Catho-  
 licorum viscera indomitis furiis sævitum  
 est; flammæ fomitem addebat Caronus  
 Batavæ navigationis Præses, ceterique  
 Hollandi, qui quæstus studio in Japo-  
 niam navigantes, ut Lusitanos, Hi-  
 spanosque commerciis dejicerent, sibi  
 que monopolium vindicarent, Hispa-  
 nos velut Japonico Imperio Regisque  
 vitæ insidiantes, Missionarios vero tan-  
 quam reipublicæ perturbatores, & Ca-  
 tholicos supersticiosæ Religionis cultores  
 nequiter depingebant. Verum longe  
 atrocissima erat Catholicorum vexatio,  
 Regnante Xoguno Dayfusamæ Fi-  
 lio, qui, ut Patre suo truculentio-  
 rem

Sæc. XVII. se tyrannum probaret, nova insuper  
 A. C. 1626. tormenta adinvenit, atque innumeros  
 non modo Europæos, sed ipsos etiam  
 Japones, qui Catholicos hospitio exce-  
 perant, alios lento igne ustulari, alios  
 sacco infutos, ut contabescerent, in  
 cumulum velut lignorum strues conici  
 jussit, non pauci jam in glaciales, mox  
 in ferventes lacus nudi mergebantur,  
 ad extremum pedibus e fune suspensi  
 capite in terra defosso ad nonnum deci-  
 mumque diem multiplici morte mori-  
 gebantur, aliis ingens aquæ vis in ven-  
 trem infusa postmodum paxillis, violen-  
 tisque compressionibus unacum sanguine  
 & vita extorquebatur, ac demum ex-  
 structis quinquaginta tribus regis, qui-  
 cunque ex Catholicis in barbaras eo-  
 rum manus inciderant, misere con-  
 busti fuere. Ne vero crudelitatis Mi-  
 nistros Catholicorum quidam effuge-  
 rent, Hollandi anno Salutis nostræ mil-  
 lesimo sexcentesimo vigesimo Catholi-  
 cos aliquot Sacerdotes, unacum Joe-  
 chimo Christiano Japone, qui eos Me-  
 nila in patriam transvexerat, ad Imper-  
 ratorem ipsimet detulerunt, eidem re-  
 susurantes, quod contra Imperii leges  
 in Japoniam navigare præsumpissent,  
 unde Xogunus cunctos ignibus exur-  
 jussit, salvo Hollandis, qui se non Chris-  
 tianos, sed Hollandos dixerunt, a suis  
 Præ-

*Tavernier.*  
*Itiner. t. 3.*  
*p. 38 edit.*  
*German.*  
*Robbe me-*  
*thode t. 2.*  
*pag. 122.*

Præconibus instructi, ut si a Japonibus Sæc. XVII. A.C. 1626.  
interrogarentur, an Christiani essent, non sumus, sed veri Hollandi Mercatores  
sumus, responderent, neque ullum ex-  
ternum Christi cultum, nec preces nec  
psalmos, nec diei Dominicæ aut festo-  
rum celebrationem, vel aliud exter-  
num signum ederent, unde pro Chri-  
stianis haberi possent; egregii plane  
Christi, ejusque Evangelii Professores?

Tandem vero sæviente Toxoguno  
Imperatore non modo Imperii sed bar-  
baræ crudelitatis hærede, die duode-  
cima Aprilis triginta septem Christia-  
norum millia in una die vario tormen-  
torum genere fuerunt velut oves &  
agnelli crudelissime mactati, unde Chri-  
stianum nomen in Imperio ferme peni-  
tus extinctum est, omnisque aditus in  
Japoniam Missionariis Catholicisque in-  
terclusus, eoquod Mercatores Hollandi  
sanguinario huic Tyranno suggestissent,  
frustra eum conari, tormentis ac cæ-  
dibus Catholicam fidem extirpare, po-  
tius ergo omnes Lusitanos, Hispanos-  
que, quorum navibus novi Operarii  
advehi solerent, omni commercio &  
accessu in Japoniam interdiceret: quod  
& Imperator edicto promulgato execu-  
tus est, simulque præcepit, ut omnes  
& singuli Japoniam ingressuri laminam  
cupream, cui Christi Cruci affixi effi-  
gies



**Sæc. XVII.** gies erat insculpta, nudis pedibus con-  
 A. C. 1626 culcarent, scriptumque horrendis ex-  
 ecrationibus in Christianam Religionem  
 scatens recitarent. Fertur tamen impium  
 hoc mandatum hodie fuisse sublatum.

## §. XLVIII.

*Susneus Abissinorum Rex palam  
 dem Catholicam professus.*

*Ludolph. l. c.* Eodem anno, quo Tyrannica crudeli-  
*Pufend. in-* tas, questus cupiditas, atque ali-  
*trod. l. 7.* næ felicitatis æmulatio vix pauca, et  
*c. 3. p. 367.* que pene emortua Christianæ Religi-  
*Vid. Supra* nis monumenta, in Japoniæ Impæ-  
*pag. 82.* reliquerat, in Abissiniæ Regno seu Æ-  
 thiopia superiore ingens fidei Catho-  
 licæ augmentum accessit ex conventio-  
 ne Susnei Abissiniæ Regis. Hic enim  
 cognito hæresis suæ errore unionem cum  
 Romana Ecclesia revocare, palamque  
 fidem Catholicam profiteri statuit. Hanc  
 in rem, præstituta die Basilidem Per-  
 phyrogenitum Filium suum ejusque fra-  
 tres, Provinciarum Præsides, totius  
 que Regni Præsectos ad Regium tentorium  
 convocabat, ubi Alphonfus Mex-  
 dez de summi Pontificis auctoritate  
 a Deo concessa, necnon de Dioscori  
 Eutychie hæresi luculentam habuit Con-  
 tentionem, qua finita Rex, ejusque Fra-  
 tres, Regis Fratres, ceterique Proce-  
 res tacto Evangelii libro publice fidem  
 Catho-

Catholicam amplexati, errorem Dio-  
 scori de una in Christo natura damna-  
 runt, ac Urbano VIII. Romano Ponti-  
 fici, cujus Primatum jurato agnove-  
 runt, fidem, obsequiumque professi sunt:  
 Peracta hac solemnitate Rex in omni-  
 bus Regni Provinciis edictum promul-  
 gari præcepit, vi cujus omnes Christi  
 legem profiteri jussi sunt, pertinacibus  
 autem, indicta quoque mortis poena,  
 habitandi spatium denegatum. Con-  
 struitur etiam Debsanæ Regiis sumpti-  
 bus magnifica Sedes Patriarchalis, pas-  
 simque omnes, utpote invalide Bapti-  
 zati, rursus Sacro fonte tinguntur, &  
 Sacerdotes denuo Sacris initiantur,  
 omnesque jejunii, Paschatisque tem-  
 pora juxta Romanæ Ecclesiæ ritum fer-  
 vare, ac Gregoriano Calendario dein-  
 cepti uti jubentur, quamvis indetractu  
 temporis periculosa tempestas a Pseudo-  
 Patriarcha, Monachisque schismaticis  
 fuerit concitata, his in vulgus spargen-  
 tibus, mutato Cyclo Paschali Conci-  
 lium Nicænum everti.

## §. XLIX.

*Patris Petri Cottoni Jesuitæ obitus.*

Plura sparsim de P. Petri Cottoni fatis  
 supra recensuimus: superest tamen, *Alegambe*  
 ut de ejus vita & obitu pauca eaque *Bibl. Script.*  
 pag. 667.

Kk 4

me-

Sæc. XVII. memoratu digniora addamus. Erat  
 A. C. 1626. hic natione Gallus literis apprime ex-  
 cultus, atque a prima jam ætate hæ-  
 reticis infensus: adultior factus, cum  
 in eo magna dicendi gratia eluceret,  
 variis in urbibus non sine Auditorum  
 applausu quadragesimalem concionum  
 cursum absolvit, tantaque vehementia  
 Calvinianos Prædicantes insectatus est,  
 ut effulis in eum contumeliis, struci-  
 que infidiis famæ vitæque haud unum  
 subierit discrimen: Postquam vero Hen-  
 ricus IV. a Lediguerio tum adhuc Cal-  
 vinista, quantum Cottonus concionan-  
 do valeret, intellexerat, eundem ad  
 Regiam evocatum sibi a Confessionibus  
 esse voluit, eumque concionantem ab-  
 quoties excepit: Hac autem via Cottonus  
 adeo Regis animum occupabat, ut  
 Societatem ab exilio in Franciam revo-  
 cari impetraret, necnon Ludovici XIII.  
 Delphini educationi præfici mereretur.  
 Henrico autem crudeli manu sublato  
 Cottonus *tanta fuit animi æquitate, ut  
 nihil de instituto sive meditandi, sive  
 proximis agendi, sive libros scribendi  
 taverit*: Minus erat acceptus Ludovico  
 Henrici Filio. Hic enim, quamvis eun-  
 dem ex Matris suæ mandato a Confes-  
 sionibus, & concionibus haberet, ar-  
 no tamen hujus sæculi decimo septimo  
 illum valere jussit: Relicta igitur aula  
 Cottonus

Cottonus Franciæ Provincialis renun- Sæc. XVII.  
 tiatus est; tum vero tempestatis, quæ A. C. 1626.

sibi suisque Sociis isthic immineret, Scripta au-  
 spectator & testis esse cogebatur; quip- lograph.  
 pe ad Senatum ob pernicioſa dogmata Societ.  
 Societati imputata, crimenque læsæ pag. 37.  
 Majestatis objectum in jus vocatus, ac  
 respondere jussus est: cum ergo deci-  
 ma octava Martii die currentis anni hoc  
 Parisiensis Parlamenti decretum Patri  
 Cottono indicaretur, ipse *tædio interro-*  
*gatoriæ actionis, qua præcipui e Societate*  
*pulsati fuerant, morbo corripiebatur, quo*  
 etiam sequenti die anno ætatis suæ se-  
 xagesimo tertio obiit, tanto, ut scribit  
 Alegambe Jesuita, *concurso hominum,*  
*ut exequiarum ordo teneri nequiverit, ma-*  
*gnusque impetus factus fuerit manus ejus*  
*& pedes deosculandi, & Rosaria corpori*  
*ad venerationem admovendi, deprecandique*  
*reliquias. Ceterum fidei Patris Arman-*  
 di Jesuitæ relinquimus ea, quæ ipse  
 in sua ad Germaniæ Superioris Provin-  
 cialem epistola de Patris Cottoni obitu  
 his narrabat verbis:

*Die decima octava Martii indicatum*  
*fuit hoc decretum P. Cottono, cui quod*  
*quartum jam præcedenti die vena aperta*  
*fuiſſet, vires valde debilitatæ fuerant, &*  
*graviter admodum tulit postrema ejusdem*  
*decreti verba: quid inquit, nos adeo*  
*fideles Regi insimulari criminis læsæ*

K k 5

Maje-

Sæc. XVII. Majestatis? his aliisque negotiis cum co-  
 A. C. 1626. rris peractis iterato ei vena incisa fuit. Du-  
 decima nona insequenti surrexit idem Patre  
 e lectulo hora tertia, ut persolveret divinum  
 officium. Vix primum nocturnum recita-  
 rat, cum sensit visum sibi multum deper-  
 unde recepit se iterum in lectum, & somnum  
 accersiri jubet, cum quo absolveret, quod  
 reliquum erat. Postea reconciliavit se per  
 Confessionem; hora deinde sexta petit sibi  
 afferi SS. Viaticum, quod & flexis huius-  
 genibus recipere voluit extra lectum, &  
 quidem indutus, & aperto Capite, nec  
 induci potuit, ut a terra surgeret, quod  
 e cubili elatum fuisset Venerabile Sacramen-  
 tum. Tum in lectulo residens per dimidium  
 horæ quadrantem Deo gratias egit, cuius-  
 que vestitus in lectulo se composuisset, elat-  
 latum ei fuit Sacrum oleum, quod magno  
 cum pietatis sensu percipiens, & ad verbum  
 respondens, cum ei inungerentur Oculi, ex-  
 piravit intra sextam & septimam eadem pi-  
 vitate, & devotione, quam tota sua vita  
 præsetulerat. Valde addictus fuerat Sacerdoti  
 Josepho, dixeratque paucis ante diebus ad  
 dam Sæculari, si daretur sibi optio sui  
 obitus, electurum se diem Sancti Josephi.  
 Mox divulgato ejus obitu ingens universis  
 fuit luctus. P. Suffrenus adiit Regiam  
 matrem, ut ei nuntiaret mortem Patris,  
 quæ & ipsa magnum dolorem, quem  
 hauserat, contestata, addidit ei causam  
 fuit

scilicet clausulam Decreti. Rex aberat **Sæc. XVII.**  
 tum Parisiis, venationi intentus per aliquot **A. C 1626.**  
 dies. Depositum fuit cadaver in templi Sa-  
 crario, totoque eo die ad id agendum cer-  
 tatim, concursus factus est, Complures ma-  
 nibus ejus oscula figebant, & rosariis ipsum  
 contingere certabant. Communis fama e-  
 rat, nec vana, illum Sanctitate excelluisse.  
 Terræ illum mandavimus sub sextam Ve-  
 spertinam præsentem tam conferta hominum  
 multitudine, ut vix accessus patuerit ipsi  
 Reverendissimo Archiepiscopo Parisiensi, qui  
 exequiis interfuit, & finita Psalmodia su-  
 premas Ceremonias peregit, quin & ge-  
 nam osculatus est.

Porro P. Alegambe Jesuita de P.  
 Cottono refert, eum ex nescio qua gra-  
 veolentia homines impudicitia fæda-  
 tos discrevisse, an autem hujus quoque  
 doni usum habuerit, dum per tot an-  
 nos Henrico IV. a confessionibus fuit,  
 incertum est.

Scrisit Cottonus præter plurimos  
 sermones & libellos asceticos tractatum  
 de modo agendi cum hæreticis, nec-  
 non de Missæ Sacrificio contra Mini-  
 strum Gratianopolitanum, & librum  
 adversus Ministrum Rigordum. Alios  
 adhuc edidit tractatus polemos, uti  
 sunt. I. Geneva Plagiaria. II. Relapsus  
 Genevæ Plagiariæ. III. Institutio Catho-  
 lica contra Calvinii Institutiones. IV. Acta  
 dispu-

Sæc. XVII. *disputationis, eorumque epitomen adversus*  
*A. C. 1626. Chamierum. V. Defensio Concilii Triden-*  
*tini. VI. Colloquium cum Rigordo Mi-*  
*nistro. VII. Devotio Calvinistarum. VIII.*  
*Concordia utriusque Religionis. Inter Apo-*  
*logetica eminent ejus Apologia contra*  
*Anti-Cottonum, necnon veritas detecta*  
*de Henrico Jesuita Antverpiæ combusto &*  
*sententia Societatis de Tyranniciaio.*

§. L.

*Quorundam Scriptorum Religione*  
*Catholicorum mors.*

*Miræus*  
*Script. Sæ-*  
*cul. XVII.*  
*pag. 296.*  
*Joan. Nic.*  
*Eryth. Pi-*  
*nac. I. p. 144.*  
*Frecherus*  
*Theatr. Vir.*  
*erud. part. 2.*  
*Scd. 4.*  
*p. 1044.*

Eundem hunc annum vitæ suæ postre-  
 mum habuere multi Scriptores Ca-  
 tholici, qui suis lucubrationibus hanc  
 parum Ecclesiam illustrarunt. Ex his  
 præcipui erant. I. Augustinus Anto-  
 linez FF. Ord. Eremitarum S. Augustini  
 Sacræ Theologiæ Doctor Salmantice-  
 sis, primo Episcopus Civitatenfis, de-  
 Archiepiscopus Compottellanus. Vir  
 pietate, & eruditione, ac præcipuis  
 charitate in pauperes adeo insignis, ut  
 amplissimis sui Episcopatus proventibus  
 in egenos effulis ad incitas redactus  
 ipsus opulenta Mercatorum æraria ob-  
 ret, stipemque pro pauperibus emen-  
 dicaret. Tandem bonus Pastor animam  
 suam posuit, annos natus septuaginta  
 quatuor. Scripsit librum de Conce-  
 ptione

ptione B. V. M. præter vitas B. Joannis Sæc. XVII.  
Saguntini. Claræ Montefalconensis, alia- A. C. 1626.

rumque Sanctarum Ordinis sui II. Gar-  
ceranus Albanelus Granatensis Archi-  
præsul edidit Historiam Hispanicarum  
rerum, & Panegyrim in Philippum IV.  
Regem, obiit die decima Maij anno æ-  
tatis suæ sexagesimo quinto. III. Pro-  
sper Stellartius Eremita Augustinianus,  
S. Theologiæ Doctor posteris reliquit  
vindicias pro S. Augustino & Augusti-  
nians, necnon Annales Monasticos us-  
que ad XVII. Sæculum, præter libros  
duos de coronis & tonsuris Paganorum,  
Judæorum & Christianorum. Edidit  
quoque nucleum Historicum, & regu-  
las omnium Ordinum Monasticorum &  
militarium. Decessit Cajetæ die de-  
cima Augusti morte nimis præmatura,  
nonnisi triginta novem annos emensus.  
IV. Ex eodem Ordine obiit plusquam  
octogenarius Ægidius a Præsentatione  
Theologiæ Doctor, qui libros de Vo-  
luntario, de Beatitudine, de conce-  
ptione B. V. pluraque alia edidit. V.  
Philippus Ferrarius Ord. Servorum Ge-  
neralis elucubravit novam Geographiam  
in Martyrologium Romanum, lexicon  
Geographicum, Topographiam Poeti-  
cam, Catalogum Scriptorum, præter  
plura alia opuscula. Vivis ereptus  
est die tertia Septembris. VI. Joannes  
Bosco



**Sæc. XVII.** Bosco Ordinis Cisterciensium Bello-Locensis Abbas, qui Franciæ Regi a Concionibus, cum contra cujusdam Ordinis Religiosi existimationem nimis asperere & truculenter esset invecus, Romæ in arce S. Angeli multos annos vincus affervabatur, nec antea a Gregorio XV. dimissus, donec Cardinalis ille, cuius iram in se declamationibus suis concitaverat, fatis functus esset: unde hic Abbas rogatus, ecquando e carcere dimittendus esset? *modo*, respondit, *de functi sunt enim, qui querebant animam pueri.* Mortuus est Romæ die vigesima octava Augusti, postquam typis vulgaverat Bibliothecam Floriacensem, & quatuor partes Theologiæ moralis. VI. Allardus Gazeus Ord. S. Benedicti Vir doctrina, pietate & Theologiæ Mysticæ scientia clarus. Scripsit perbreve commentarium in Cassiani opera præter collectaneas disquisitiones. Extinctus est sexagenarius die duodecima Septembris. VII. Joannes Antonius Brandus Ord. FF. Minorum, qui in lucem edidit chronicon Romanorum Pontificum, vitam S. Philippi Agyrensis literas ad Venetos, ut respiciant & Romano Pontifici obediant, & tractatum de Rosario. VIII. Laertius Cherubini collegit Bullas & Constitutiones Pontificias, quas ejus Filius Angelus Maria Bene-

Benedictinus Cassinensis plurimum au- Sæc. XVII.  
 xerat. IX Baldus Franciscus Rotæ A. C. 1626.  
 Romanæ Auditor scriptit decisiones Ro-  
 tales: obiit die decima septima Martii.  
 X. Alexander Carrerius ad S. Andream  
 Præpositus, ac Patavinæ Universitatis  
 Decanus publici juris fecit libros quin-  
 que de Sponsalibus & matrimonio, &  
 libros duos de potestate Romani Pon-  
 tificis. Mortalitem exiit die vigesi-  
 ma Augusti. XI. Jeremias Ferrerius,  
 qui adhuc Calvinii sectam professus, e-  
 dito libro Clementem VIII. esse Antichri-  
 stum calumniabatur; postea tamen eju-  
 rato Calvinii errore, hunc ipsum librum  
 egregie confutabat, sprete ridicula ex-  
 communicatione, quam Prædicantes in  
 Calviniana sua Pseudo-Synodo Priva-  
 tiensi in eum tanquam apostatam anno  
 1612. vibrarunt. Edidit quoque sub  
 titulo: *Catholicus Politicus* apologiam  
 fæderis cum Protestantibus initi: de-  
 cessit tandem Ferrerius die vigesima  
 sexta Septembris.

*Synodes  
 Nation.  
 pag 461.*

§. LI.

*Quidam Societatis Scriptores hoc  
 anno denati.*

Præter Patrem Cottonum nonnulli *Alegambe*  
 alii celebriores e Societate Scripto- *Bibl. Script.*  
 res hoc anno obiere, & quidem primo *Soc. Miræus*  
 Paulus *l. c.*

Sæc. XVII. Paulus Comitulus, qui octogenarius  
 A. C. 1626. Perusii die decima octava Februarii de-  
 functus, posteritati reliquit tractatum  
 apologeticum pro Monitorio Sedis Apo-  
 stolicæ ad Venetos; Consutationem libelli  
 adversus interdictum Apostolicum, responsa  
 Moralia, & catenam Illustrium Authorum  
 in Job. II. Franciscus de Mendonça  
 edidit commentaria in libros Regum  
 & quosdam sermones. II. Joannes  
 Falco descripsit manuductionem ad fi-  
 dem Catholicam pro Duderstadienlibus  
 in Eichsfeldia præter libros Asceticos  
 III. Antonius Mongaillardus multa Con-  
 cilia, & præcipue Tolosanum anno 1120  
 habitum ex antiquis tabulariis eruta  
 vulgavit. IV. Christophorus Mayer  
 patria Augustanus edidit octo fidei con-  
 troversias, tractatus varios de neces-  
 sitate bonorum operum, de Christi præ-  
 sentia in Eucharistia, de Purgatorio,  
 de cultu Sanctorum, S. Imaginum &  
 reliquiarum.

## §. LII.

*Scriptores ex Ordine FF. Præ-  
 datorum hoc anno defuncti.*

*Echard  
 Script. FF.  
 Præd. t. I.  
 p. 442.*

Inter Scriptores ex Ordine S. Domini-  
 nici, qui hoc anno vivere desierunt  
 celebrantur I. P. Dominicus de Molina  
 patria Hispalensis, qui petente Phi-  
 lippo

lippe IV. Hispaniarum Rege, nomine Sæc. XVII.  
 omnium Religioforum, ab Urbano VIII. A. C. 1626.  
 Papa non modo Bullam Gregorii XV. ~~revo-~~  
 die quinta Februarii anno 1622. edi- Vid. Supra  
 tam, quæ incipit: *Inscrutabili Dei pro-* l. 194. §. 42.  
*videntia* &c. revocari impetrabat, sed e- p. 526. l. 57.  
 tiam revocationis diploma edi curabat.  
 II. Carolus Puteanus Brabantinus edi-  
 dit dissertationes duas palæstricas de  
 providentia & fato. III. Joannes Cay-  
 rosa Cæsar augustanus scripsit homi-  
 lias in Evangelium de cæna Domini.  
 IV. Hyacinthus de Janua vulgavit hi-  
 storiam Generalem sui Ordinis.

## §. LIII.

*Quorundam Protestantium Scripto-  
rum obitus.*

Ex A catholicis Scriptoribus, qui inter Freher.  
 suos inclaruere, hoc anno decef- theatr. Vir.  
 serunt. I. Joannes Piscator patria Ar- erud. part. 1.  
 gentinensis, qui Herbornæ octogena- Sect. 3.  
 rius die vigesima Julii obiit, posterisque pag. 426.  
 reliquit Biblia ex Hebræo sermone in Weismanus  
 Germanicum translata, commentaria Hist. Escl.  
 in Apocalypsin, tractatum de gratia & p. 1127.  
 Prædestinatione, & Analyses Theolo-  
 gicas. II. Samuel Durantius Calvinia-  
 nus Præco scripsit tractatum de conso-  
 latione afflictorum, sermones in Isaiam,  
 & anatomiam Christianam. III. An-  
Hist. Eccles. Tom. LVIII. L1 to-

**Sæc. XVII.** tonius Albizius Florentinus Nobilis,  
**A. C. 1626.** qui quidem in Catholica Religione edu-  
 catus, & in Maximiliani II. Cæsaris,  
 necnon Andreæ Archiducis Aula per  
 plures annos enutritus, dudum hæresis  
 suæ venenum occultabat, tandem ven-  
 larvam detrahens, Campidonum affe-  
 git, sectam libere professurus: rogabatur  
 crebro ac impense a suis Cognatis,  
 ut agnito errore vel ad suos reverten-  
 tur, vel saltem apostasiæ suæ veniam  
 Romæ impetrare satageret: ipse etiam  
 Nuntius Apostolicus Lucernæ illum  
 convenerat, factisque amplissimis poli-  
 citationibus errantem hanc ovem ad  
 veræ fidei Semitam revocare nitebatur.  
 Cum autem hujus Viri pertinacia pre-  
 cibus frangi haud poterat, hoc anno  
 die quarta Junii proclamate ad vicinas  
 Ecclesias affixo Romæ intra trimensem  
 comparere jubebatur: at infelix  
 homo sexto ante hujus citationis pro-  
 mulgationem die hæresi immortalis  
 periit. Edidit tractatum de principiis  
 doctrinæ Christianæ necnon execra-  
 tiones Theologicas. IV. Rudolphus  
 Hospinianus Altorffensis, qui contra  
 diam discordem. *historiam Jesuiticam,*  
*tractatum de origine & progressu Rituum*  
*Ecclesiasticorum, de Templis & cæna Do-*  
*mini typis vulgavit.* V. Balthasar  
 Meisnerus secta Lutheranus elucubravit

vit suam *anthropologiam Sacram*, *Colle-* Sæc. XVII.  
*gium adiaphoristicum*, *meditationes Sacras* A.C. 1626.  
*in Evangelia*, *commentarium in Oseam*,  
*considerationem Theologiæ Photinianæ*, præ-  
 ter tractatum de purgatorio, pluraque  
 alia opuscula, in quibus tamen adja-  
 phoristica ejus principia ipsis etiam Lu-  
 theranis displicent. VI. Vitus Wollfo-  
 rum Lutheranus Præco, qui suam se-  
 ctam, necnon Georgium Anhaltinum  
 Principem a *Sacramentariis*, ut vocant,  
 necnon *Crypto-Calvinistis* vindicare,  
 manibus, pedibusque laborabat, edi-  
 tis hanc in rem variis tractatibus: scri-  
 psit insuper dissertationem de usu &  
 abusu *S. Imaginum*, de fractione panis  
*Eucharistici*, & de distinctione *Deca-*  
*logi*. VII. Meneslaus Pauli publici  
 juris fecit doctrinam de *Sabbato*, mo-  
 ralem omnium hominum delineationem,  
 & quæstiones de delatoribus. VIII.  
 Sigfridus Neumeister dehortationem a  
 doctrina & Religione Calviniana præ-  
 ter plures alios tractatus evulgavit.

## §. LIV.

*Carolus I. Angliæ Rex ritu solemniter*  
*inauguratus.*

Quantumvis Carolus I. Angliæ Rex *Rapin Hist.*  
 a suo Parlamento ad bellum Hispa- *d' Angl. l. 19.*  
 nis inferendum pecuniarum suppetias *tom. 8.*  
 Ll 2 obti-

Sæc. XVII. A. C. 1626. obtinere haud posset, nihilominus fr-  
dere cum Batavis inito validam intro-  
xit classem, quæ Hispanas naves et  
Indiis remeaturas interciperet: Verum  
cælo pro Hispanis pugnante milites  
Angli aeris intemperie absumpti, na-  
vesque hinc inde dispersæ, reque in-  
fecta in Angliam reversæ Regis consi-  
lium dissiparunt: cum igitur sinistro  
successu Rex bello prosequendo impar,  
ac pecuniis plene exhaustus esset, ut  
Puritanos Proceres ad pecunias mutuo  
sibi dandas inclinaret, ad eorum vota  
cunctos juvenes in exteris Regionibus  
enutritos, omnesque Anglos, Scotos  
& Hibernos Cæsaris stipendia mere-  
tes revocari, & Catholicos armis spo-  
liari iussit. Adhuc tamen nimis inimi-  
ca erant hæc belli prosequendi medi-  
quocirca Rex illis Senatoribus, qui in-  
per ejus consiliis obstiterant, exclusis  
nova ad decimam octavam Februarii  
diem indixit comitia: prius tamen  
solemni ritu Westmonasterii inaugurari  
voluit. Igitur præstituta die Cantue-  
riensis Pseudo-Archiepiscopus Regem  
profano oleo inunxit, eique diadem-  
imposuit, assistente Laudo Westmon-  
steriensi Decano, qui cum Regalia, scilicet  
coronam, gladium, sceptrum,  
calcaria S. Regis Eduardi Confessoris,  
aliaque Insignia pararet, inter ea Cru-  
cena

cem quoque reperit, quam sine super-  
 stitionis, vel Idololatriæ metu aræ im-  
 posuit.

His peractis quoddam augurium,  
 quod tamen hæcenus in aliis Regum  
 inaugurationibus nunquam fuit audi-  
 tum, palam prælegit, his conceptum  
 verbis: *Firmus esto deinceps in solio tuo,*  
*quod a Majoribus tuis hæreditaria suc-*  
*cessione accepisti, quodque tibi Deus Omnip-*  
*tens PER MANUS NOSTRAS, om-*  
*niumque Episcoporum Servorum Dei tra-*  
*didit. Sicut autem Clerum ceteris homini-*  
*bus magis vicinum ad Dei aram cernis,*  
*ita quoque eidem in omnibus locis amplio-*  
*rem honorem deferre memineris, ut Me-*  
*diator Dei & hominum te in Regio hoc so-*  
*lio firmet, sisque Mediator Clerum inter &*  
*Laicos, semperque Regnes cum Christo Je-*  
*su, Rege Regum, & Domino Dominantium.*

## §. LV.

*Inquisitionis Tribunal pro tuenda Re-*  
*ligione Anglicana in Anglia*  
*erectum.*

Ut vero Curia inferior suum in Catho-  
 licos odium, sectæque studium no-  
 vo specimine Regi magis testatum red-  
 deret, eumque ad infectandos, ut vo-  
 cant, *Recusantes* acrius inflammaret,  
 Congregationem ad normam Inquisi-  
 tio-

*Rapin l. c.*  
*p. 439.*  
*Rusworth.*  
*Vol. I. p. 413.*



Sæc. XVII. tionis, in qua Religionis suæ negotia  
 A C. 1626. discuterentur, instituit, eidemque Præ-  
 fidem præfecit Pymum Præconem. Hic  
 igitur Zeli sui specimen daturus, mox  
 duos libros a Richardo Montacuto Do-  
 ctore conscriptos, quorum prior: *Appel-  
 latio ad Cæsarem*, alter: *Responsum ad  
 G. A. C.* inscribatur, apud hujus Con-  
 gregationis Judices denuntiabat, ex-  
 ponens, quod in hisce libellis opinio-  
 nes falsas, erroneas, Papisticas, Ar-  
 minianas, & triginta novem illis Re-  
 ligionis Anglicanæ articulis adversis  
 deprehenderit: Præcipue autem acri  
 censura dignas censebat sequentes pro-  
 positiones ex primo libro decerptas. I.  
 Ecclesia Romana Sacramentorum fun-  
 damento & doctrinæ a Deo traditæ sem-  
 per firmiter institit. II. Controver-  
 siæ inter Ecclesiam Romanam, & Angli-  
 canam exigui momenti, talisque con-  
 ditionis sunt, ut Christianus eas abs-  
 que salutis suæ dispendio ignorare ve-  
 leat. III. Pro rudium institutione, &  
 excitanda fidelium devotione uti licet  
 Imaginibus. IV. Fidelis justificatus  
 gratiam amittere valet: Scripsit etiam  
 Montacutus tractatum *de invocatione San-  
 ctorum*, ex quo Pymus hanc denunti-  
 abat propositionem: *Dantur Sancti &  
 Angeli Tutellares*. Postquam igitur Rex  
 animadverterat, quod Curia inferior sibi  
 Reli-

Religionis negotia discutiendi potestatem arroget, mox ipse supremo Regni Præfecto in mandatis dedit, ut omni-  
 Sæc. XVII. A.C. 1626.

bus Provinciarum Prætoribus Regis nomine significet, quatenus & ipsi omni severitate in Papistas animadverterent: paulo post tamen Rex promulgato edito inhibuit, ne controversi Arminianorum articuli aut in Concionibus. vel disputationibus impugnentur, eoquod ejusmodi concertationibus duntaxat animi magis magisque exacerbarentur: præterea, ut a Catholicis, qui præscriptum obedientiæ juramentum deferre recusabant, pecuniarum subsidia conquireret, quosdam deputabat Judices, qui de venia omnium delictorum, quæ hi Catholici a decimo prioris Regiminis anno comiserunt, vel deinceps commissuri sint, concedenda transigerent. Verum omnibus hisce pecunias corrogandi mediis Rex adhuc parum profecerat, quocirca omnibus urbibus, Nobilibus, & Ministris tributa imperabat, simulque quosdam Prædicantes auro corruerat, eo fine, ut tanquam doctrinam ex Sacris literis haustam populo in suis concionibus proponerent, quod subditi sine legis discussione omnibus Regis sui mandatis obedire tenerentur. Non deerant ejusmodi tribolares Præcones, Aulæ gratiam aucupandi

*Francklin  
 Annal. de  
 Charl. I.  
 Apologie de  
 l'Archev.*

Sæc. XVII. pandi studio incitati, atque inter eos

Sæc. 1626. præ ceteris Sibtorpius & Manwaringus

eminebant, quorum prior hisce verbis  
 ex Ecclesiaste c. 8. v. 3. & 4. abulus:  
 Rex omne quod voluerit, faciet, nec dicitur  
 ei quisquam potest, quare ita facis? hæc  
 subjunxit: „Regis est ferre leges;  
 „ipse enim caput, Curia & Senatus est  
 „etsi Principes talia jubeant, quæ ut  
 „pote Dei mandatis vel naturæ legibus  
 „contraria aut impossibilia, subditi adimplere  
 „plere nequeunt, nihilominus suæ im-  
 „bedientiæ pœnam sustinere tenentur,  
 „quin desuper querantur aut murmurent:  
 „sese passivæ obedientiæ subire, adstringuntur,  
 „ubi activam obedientiam præstare nequeunt. Sub-  
 „diti præter memoratos casus in nulli  
 „alio eventu, ut mihi videtur, obedientiam  
 „activam suo Principi denegare valent. „  
 „Alter vero Præco ad hoc pertius in quamvis  
 „sui Regis adulatorem venalis, ita perorabat:  
 „Rex Regni leges quoad jura & subditorum  
 „privilegia observare non adstringitur.  
 „Regia voluntas Regisque præceptum  
 „quo subditis tributa imperat, aut pecunias  
 „mutuo exigit, sub pœna æternæ damnationis  
 „subditorum conscientias obstringit, atque illi,  
 „qui indictam pecuniarum summam mutuo dare  
 „refusant, peccatum grave contra legem Dei

„Dei, & supremam Regis auctoritatem Sæc. XVII.  
 „committunt, seque impietatis, perfi- A. C. 1627.  
 „diæ & rebellionis reos faciunt. Ad  
 „colligenda tributa & subsidia non opus  
 „est Parlamenti auctoritate; tardæ e-  
 „nim decisiones ejusmodi comitorum  
 „non sunt aptæ ad Regnum in urgente  
 „necessitate sublevandum, quinimo po-  
 „tius Principis consiliis varia opponunt  
 „obstacula. „ Absoræ hæ declamationes  
 Regi tam acceptæ erant, ut Abbotum  
 Cantuariensem Archiepiscopum, eo-  
 quod Sibthorpii sermonem approbare  
 recusasset, ab omni Archiepiscopatus  
 munere suspenderit, urbeque exulare  
 jufferit, Manwaringum vero, quem  
 Curia superior tanquam omnis Eccle-  
 siastici muneris indignum declarabat,  
 ac carcere, pecuniarum multa, & trien-  
 nali suspensione plectebat, pingui bene-  
 ficio, & paulopost Episcopatu hono-  
 rarit.

## §. LVI.

*Reginæ domestici Religione Catholici  
 a Carolo Rege ex Anglia  
 ejecti.*

Postquam igitur Regii clientes, Mi- Lotich. 1. 2.  
 nistri, ac Prædicantes variis ejus- Germ. l. 2.  
 modi artibus Regem sibi devinctum te- cap. 2.  
 nebant, jam audaciores facti, confi-  
 lium,

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

lium, quod jam dudum damno Si-  
lencio supprefferant, palam promovere  
statuerunt: Urebat Ministros ac Prædi-  
cantes præ ceteris juramento firmata li-  
bertas, qua Henrieta Maria Galliarum  
Regis Soror anno hujus sæculi vigesi-  
mo quarto die prima Augusti Carolo  
Londini desponsata unacum suis Audi-  
cis & domesticis Religionis Catholice  
exercitio frui permittebatur: Magis  
adhuc iniquo ferebant animo, quod  
Episcopus, aliique viginti Sacerdotes  
in aula libere Sacris operarentur: Igitur  
clanculum initio susurrant, mox ve-  
lentius & pene cum clamosa objurga-  
tione non minus falso quam nequitie  
Regi exponunt, quod Catholici Regi-  
næ Domestici per Regnum & aulam Bo-  
giam litium semina spargerent, eorum-  
que Episcopus unacum Presbyteris suis  
subditos in Regem concitaret, ac Pro-  
testantibus metum & diffidentiam, Pe-  
pistis vero audaciam injiceret, simul-  
que Procures aliunde male affectos contra  
Regem, Regnique quietem ac salutem  
Inflammaret. Ausi sunt insuper (Præ-  
cuncta sine dubio conductitia) Prædi-  
cantes multo disertius, copiosiusque  
singula, quæ ceteri confinxerant, mo-  
modo confirmare, sed etiam imminere  
Anglicanæ Religionis periculum exor-  
gerare, fronte (quod exercitæ libe-  
lacie

lacix, præfidentesque delatores solent) Sæc. XVII.  
 inter consilium imperiumque media A. C. 1627.  
 perentes, ut una omnes Regno ejice-  
 rentur, eo quod Gallorum Procerum  
 nonnulli per Regni Provincias domici-  
 lia conduxissent, in quibus conventi-  
 cula Missæque sacrificia peragerentur: *Meteran.*  
 vociferabantur insuper, jamjam utrius- *Hist. Belg.,*  
 que sexus infantes ritu Catholico edu- *lib. 46.*  
 cari, postea ad Hispanica seminaria de-  
 portandi: ipsiusque Reginæ valetudi-  
 nem crebra noxarum confessione, in-  
 solitisque monasticæ vitæ austeritatibus,  
 quas hi Sacrificuli eidem imponerent,  
 infirmari. Horum sermones Rex se-  
 cundis auribus, & fors adhuc sine doli  
 mali, invidiæque suspitione excepit,  
 hisque calumniis credulitatem suam  
 addicens, cunctos ex aulico Reginæ  
 comitatu Ministros ac Sacerdotes na-  
 tione Gallos Regno ejici, & Protestan-  
 tes Anglos subrogari, navesque Galli-  
 cas in Angliæ portibus detineri jussit.

## §. LVII.

*Franciæ Regis querelæ apud Angliæ  
 Regem ob violatam fidem.*

Hac agendi ratione Ludovicum Fran- *Lotich. l. c.*  
 ciæ Regem graviter offensum iri, *Gramond.*  
 probe prospexerat Carolus Rex: ea *Hist. Franc.*  
 propter Carletonum in Franciam Le- *lib. 16.*  
 gatum

Sæc. XVII. gatum ablegabat, qui violenti hujus  
 A. C. 1626. consilii causas exponeret, simulque in  
 violati pacti excusationem speciosos ob-  
 tentus afferret. Verum Franciæ Rex  
 indignitate facti commotus, nulla ma-  
 ra Bassompetrum Marescallum in An-  
 gliam decrevit, ut de injuria Regio-  
 mini illata quereretur, ejectamque fa-  
 miliam quantocyus restitui peteret. Hi-  
 igitur exeunte Mense Octobri Lon-  
 dum delatus, Regios Ministros potissi-  
 mum hujus perfidiæ Auctores con-  
 nit, qui tamen primo alloquio fastidium  
 simulantes, demum Regem suum fuisse  
 contemptum, ac Montaguinum Angliæ  
 Legatum indigne habitum, imo neque-  
 dem ad alloquium a Galliarum Rege  
 admissum causabantur. Verum Bas-  
 sompetrus, cum sibi cum Carolo Rege  
 negotium esset, obtenta colloquii copia  
 Regis sui nomine hæc exposuit: „hæc  
 „cetera connubii pacta sub sancti Evan-  
 „gelii actu, ac interposita sacramenti  
 „Religione inter utrumque Regem de-  
 „sertissimis verbis cautum est, Henrici  
 „tæ Mariæ Christianissimi Regis ma-  
 „Sorori unacum Aulicis, & Domestis  
 „suis Catholicam Religionem profiterentur  
 „libertatem semper fore integram, Episcopo-  
 „scopum quoque, certumque Sacerdotum  
 „numerus pro Sacrorum administrati-  
 „stratione eidem esse concedendum, ac

„demum Reginæ Domesticos ac fami- Sæc. XVII.  
 „liares Religione Catholicos, & natio- A.C. 1626.  
 „ne Gallos ab ipfomet Rege Christia-  
 „nissimo nominandos, & quibusdam  
 „vel decedentibus, vel in patriam re-  
 „vocatis alios subrogandos esse. Hæc  
 „ante biennium die decima octava Julii  
 „utrinque Londini fuere solemni sacra-  
 „mento firmata: nunc vero cum maxi-  
 „mo animi mærore Rex meus inaudiit,  
 „non sine perjurii, malæque fidei labe  
 „familiam Reginæ Catholicam iustam  
 „sine caussa finibus Britanniaë magnæ  
 „absternere, atrociusque, quam ante sæ-  
 „vitum in Catholicos indigenas, quibus  
 „tamen Conscientiæ Libertas, & pro-  
 „tectio promissa fuit propter Reginæ  
 „auctoritatem. Hæc ipsa tamen Re-  
 „gina ex multis capitibus querendi caus-  
 „sas habet. Huic igitur si ut Regum  
 „Galliaë Soboli, si ut Ludovici Sorori  
 „dignissimæ non prospiceretur, saltem  
 „prospiciendum esset, ut uxori Serenif-  
 „simi Regis, cui Regni Successores, &  
 „Anglis Reges datura est. Exposcit  
 „autem ipsa totis animi affectibus, ut  
 „restituatur ipsi familia, qua'em habuit,  
 „cum in Angliam venit; petit insuper,  
 „ut Catholicis Anglis Libertas sit Reli-  
 „gionis suæ, qualis eis antea mutuo con-  
 „sensu ac pacto promissa fuit: uno ver-  
 „bo petit Regina (quod etiam privatus  
 „qui-



Sæc. XVII. „quilibet in vim legis obtineret) ut  
A. C. 1627. „pacta serventur tam religiose utri-  
 „que firmata. Ego autem a Regia Ma-  
 „Jestate responsum efflagito, pactis,  
 „promissisque ante stabilitis consonum,  
 „ut illud Regi Christianissimo referre  
 „possim. „ Hæc Bassompetrus ad An-  
 „glia Regem. Hic autem verborum  
 „lenitate atrocitatem facti emollire in-  
 „tentus, totam negotii molem ad suos  
 „Ministros remittebat.

## §. LVIII.

*Buchingami responsum ad Regis querelas.*

*Gramond*  
 l. 6.

Igitur Buchingamus Regis cliens ad  
 Bassompetri querelas mutuo Regis  
 nomine hæc respondit „Reginæ familia  
 „incidit in legem Majestatis ex tacita  
 „factione, ideoque nihil ab Anglis pec-  
 „catum contra pacti legem, si ea in-  
 „bus Angliæ exacta est, ipsa enim Re-  
 „ginæ Aula Jesuitis, genti Seditiosa  
 „pro asylo fuit; insinuata est a familia  
 „ribus uxori optimæ aversio a viro suo  
 „& gentis Anglicanæ contemptus. Ipsi  
 „fuere postmodum a Reginæ Domestica  
 „Angliæ mores, imo ipsa & lingua spe-  
 „ta, imbutusque Reginæ animus in-  
 „perstitione, & sub specie obedientie  
 „tiæ servilis (ex qua virtutem faciunt  
 „mo-

„monachi) indigna facere cogebatur Sæc. XVII.  
 „Regina, qualia in monasteriis Virgi- A. C. 1627.  
 „nes pati solent pro libidine Gubernan-  
 „tis: deterrimum quoque est, quod  
 „longum iter emensa pedes, iverit ad  
 „patibularias furcas, ubi noxii pœnas  
 „luunt, ubi sepeliuntur, iverit invo-  
 „candis, qui morte sua fecerant infamiam,  
 „mem locum: perduelles & sicarios vocabat  
 „martyres, & adorabat ossa infamia,  
 „dictante Episcopo Mimatensi.  
 „Per integrum annum eo facto illufumest  
 „Zelo Angliæ Regum, qui perduelles,  
 „& falsæ Doctrinæ autores vindicandæ  
 „religioni in furcam agi procuraverant.  
 „Misti fuerunt sæpe iu Galliam effectu  
 „irrito Oratores, qui de his & multis  
 „aliis de Reginæ familia quererentur:  
 „Demum postquam agnitum sine remedio  
 „grassari malum, iussa est finibus  
 „Britannicis faceffere perduellis hæc  
 „familia: abeuntibus tamen illacrimabatur  
 „Rex, quos in pœnam deposcebant leges,  
 „amicæ amplexatus, donis cumulabat:  
 „impensisque publicis, eos traduci jubebat  
 „in Galliam: hæc de Reginæ familia.  
 „Quod autem de Anglis Catholicis Secreto  
 „articulo continebatur, ut Liber ipsis sit  
 „Religionis suæ usus: hoc pactis matrimonialibus  
 „duntaxat ideo adiectum est, ut magis  
 „decorum esset hoc connubium,  
 „qui-

Sæc. XVII. „quinimo hac promissione Christianis  
 A. C. 1627. „simus Rex aulæ Romanæ gratiam cap-  
 „tare intenderat, neutri tamen partium  
 „placuit, hoc pactum eo fine adici, ut  
 „servaretur, præterea hoc pactum eius  
 „naturæ est, ut illo violato nuptialia ni-  
 „hilominus pacta rata haberentur; tum  
 „enim non Religio, sed negotium poli-  
 „ticum concludebatur: quinimo non  
 „Rex sed duntaxat Angliæ Legati hæc  
 „Religionis libertatem non nisi capti-  
 „væ benevolentia gratia promiserunt,  
 „ut Catholicorum, & Papæ animas  
 „hac ratione emollirent; de cetero au-  
 „tem hæc libertas tantum ea lege fut-  
 „promissa, si Catholici illa non abuti-  
 „rentur, sed debitam Regi obedientiam  
 „præstarent., Ex his plane elucet, præ-  
 „ter Calvinianæ sectæ principia hæc  
 „postremum esse, Catholicis fidem non  
 „esse servandam.

## §. LIX.

*Bassompetri responsum ad frivolas  
 Buchingami excusationes.*

*Lotich. l. c.  
 Meteran.  
 l. 17. p. 521.*

EX hoc Buchingami responso Bassom-  
 petrus sat luculenter cognoverat,  
 quod Catholici Regiæ Domestici tan-  
 quam veteratores, litiumque seminato-  
 res fuerint duntaxat eo fine accusari,  
 ut Protestantes speciosum Catholicos  
 oppri-

opprimendi, Regnoque expellendi ob- Sæc. XVII.  
A. C. 1627.  
tentum haberent, hinc ira commotior

Anglis meras calumnias spargentibus  
exprobrabat, quod pacta, quibus Rex  
fidem suam adstrinxerat, inter confessa  
habere velint, eorum tamen violatio-  
nem approbare audeant. Postmodum  
ad singulas eorum criminationes re-  
spondens, ita exorsus est. „Quod ex-  
„cogitatis veltris rationibus ex tempo-  
„re respondeam, beneficium est causæ,  
„quæ ex se optima, nihil indiget Ora-  
„tore: tres hebdomadæ vix sufficere  
„vobis responso, quod in præsens da-  
„tis; ego non meditata oratione re-  
„spondebo, neque apparatus quæram,  
„aut ornamenta causæ, quam exhi-  
„bere statui nudam. Ego in castris con-  
„stitutus sum, ubi factio opus est magis,  
„quam verbo: eoque debetis veniam,  
„si quid in dicendi arte peccavero. Con-  
„venitis una mecum omnes super ar-  
„tibus matrimonii, qui ad Reginæ  
„vestræ familiam spectant; convenitis  
„item super exilio, quod eidem fami-  
„liæ indixistis; legem dictam non diffi-  
„temini; quare non observata fuerit,  
„quæsi, & etiamnum quæro: neque  
„enim Regi Christianissimo factum satis  
„hocce responso vestro. At perduellis  
„erat Reginæ familia omnis, unde me-  
„ruit exilii pœnam? meruit certe, si  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII. M m per-*

Sæc. XVII. „perduellis; at enim ubi indicia? ubi  
 A. C. 1627. „nam testes? adeone perditæ mentis  
 „omnes, ut nemo ex tanto numero ex-  
 „pers criminis? adeone mutatus illis  
 „cum cælo animus, ut qui in Gallia  
 „pro Sapientibus habebantur, statim  
 „Anglia desipuerint una omnes? Res  
 „novas in Anglia moliebantur, dissi-  
 „ciabant Reginæ affectus a Rege ma-  
 „rito; hæc si vera sunt, iuste exigitis  
 „pœnam, aut promite ex tam pestilente  
 „caussa effectus, si qui sunt: ubi Sed-  
 „tio? ubi factio? si tranquilla fuit An-  
 „glia, ex quo contractum matrimonium  
 „si uniti Protestantibus Catholici, Ca-  
 „tholicis Protestantes; si valere leges  
 „ut ante: si impensus Regem amavit,  
 „& venerata est Regina conjux; si me-  
 „per missus in Galliam a Rege vestro  
 „Montacutus Christianissimo Regi gra-  
 „tulatus est de concordia, quæ inter  
 „hos conjuges invaluerat, quod nemo  
 „vestrum diffitebitur, quid res novas  
 „quid dissociatos affectus comminisc-  
 „mini? Vaga postulatio pro vana so-  
 „cipitur apud iudices; accusatio in Re-  
 „ginæ familiares ut universos, probum  
 „esse innocentes, ut singuli sunt. Publi-  
 „ca ego iudicia nescio, nec mei est mu-  
 „neris hæc scire, qui arma profiteor:  
 „non tamen usque adeo eorum  
 „rudis sum, ut ignorem, quod & om-  
 „nibus

„nibus palam est, invalida esse judicia Sæc. XVII.  
 „in plures collective sumptos collata. A. C. 1627.  
 „Calumniis plenum est, quod objici-  
 „tis, in furcis patibulariis preces ad  
 „Deum a Regina habitas, velut in loco  
 „Sancto: Die Jubilæo Sacra lucrandis  
 „indulgentiis, quas Apostolica Sedes  
 „fidelibus impertiri solet, Sacellum Pa-  
 „trum Oratorii ad Sanctum Gemme-  
 „sum visitavit Regina; post Vesperas  
 „in Moreto ejusdem Templi deambu-  
 „lavit, cui adjacent furcæ; ergone rea,  
 „quia proxime accessit ad furcas? ream  
 „dicitis, quia oravit, siccine ex oratio-  
 „ne crimen facitis? & hæc postulatio  
 „Calumnia est. Vidit furcas, transiit,  
 „neque hæsit, & si hæsisset maxime, &  
 „orasset, vacaret actus crimine, imo  
 „in meritum transiret apud Catholicos  
 „Romanos, apud quos pietas est orare  
 „pro defunctis. Finiere in his furcis  
 „Catholici, pars magna pro Religione,  
 „quam in Anglia instaurare conabantur,  
 „qualis ante fuerat: audit pro crimine  
 „apud vos conatus iste, nobis pro vir-  
 „tute accipitur: & si ex Religione pro-  
 „pagata, & defensa, omnis postulatio  
 „fuit, transit in martyrium ista mors,  
 „si rei periere ex perduellione, aut pri-  
 „vato delicto, pro ipsis orare actus le-  
 „gitimus est; si periere pro fide, non  
 „alio crimine adjecto, orare ipsos, ut  
 „pro

M m 2

Sæc. XVII., pro nobis intercessores esse velint ad  
 A. C. 1627., Deum, actus est ex Religione Catho-  
 „lica Romana, cujus Reginæ, univet-  
 „sæque ipsius familiæ liberum exerci-  
 „tium permissum erat. Innocentiam  
 „plane convincit, quod dicitis, abeunt  
 „familiæ illacrymatum Regem vestrum,  
 „donis & largitione dimissam, demum  
 „natali solo impensis publicis resitutum:  
 „si perduelles erant, debuit Rex pu-  
 „cere hisce lacrimis, queis pro im-  
 „centibus, & probis audiebant rei-  
 „meruerant in furca Supplicium, &  
 „benevolentia signa reportant: debe-  
 „rant noxii fuga dilabi, non pecunia  
 „de publico sumpta dimitti. Hæc quam  
 „male cohærent? ex his præmissis,  
 „quam est recta ista conclusio: Ergo  
 „Regis, ergo vestrum omnium iudicium  
 „innocentes erant? indicate quælo et  
 „centum & viginti familiaribus eum  
 „qui deliquit primus (nam tantæ Con-  
 „spirationis principium fuisse ab aliquo  
 „necessum fuit.) Debuitis agere in  
 „illum ex lege, quo reliqui terrerentur  
 „aut si ex veneratione erga Christianis-  
 „simum Regem tardabatur poena, de-  
 „buitis conqueri, ut ipse Rex animam  
 „verteret: quod nemo ambigat factu-  
 „rum fore, nedum in reos, sed & in  
 „suspectos illos, quos pro delicto mul-  
 „tasset, statimque revocasset. Ubi il-

„tis formula hos in priorem hunc reum? Sæc. XVII.  
 „ubi quos debuistis movere, questas? A. C. 1627.

„Missus in aulam Christianissimi Regis  
 „Clericanus, nomine Angli Regis, te-  
 „pidos erga se conjugis suæ affectus  
 „querebatur, causam teporis non ad-  
 „jecit, neque ex alio capite questus est.  
 „Scribit statim ad filiam Regina Ma-  
 „ter, increpatque (qua in ipsam au-  
 „toritate valebat) teporem, ab uxore  
 „indebitum viro: restauratur statim  
 „conjugii charitas, veneratur & amat  
 „impensus maritum uxor, hinc causa  
 „Legationis ad Regem Gallix a Rege  
 „vestro, qua submonebat ingens sibi  
 „ab uxore Solatium esse, & collata-  
 „batur: si quid ab eo tempore Regina,  
 „aut familia ipsius peccavere, debui-  
 „stis Christianissimo Regi admonitio-  
 „nem amicam. Siluistis, ergo nihil  
 „ab ipsis peccatum: ergo indebita pœ-  
 „na, quam exigitis. Insto adhuc, de-  
 „signate nobis ex familia aliquem, a  
 „quo fuerit principium factioni. Re-  
 „spondetis, unam omnibus conjuratio-  
 „nem fuisse, uno & eodem momento  
 „inspiratam: quis fidem habeat rei,  
 „quam vix natura patitur? neque e-  
 „nim facile conveniunt tot capita, qui-  
 „bus suus cuique est sensus? Quænam  
 „hæc litis formula? ab executione prin-  
 „cipium est: post pœnam exactam in-  
 M m 3 „qui-



Sæc. XVII. „quiritur. Integræ familiæ, quam Se-  
 A. C. 1627. „rori dederat Christianissimus Rex, re-  
 „ditum in Galliam videt, antequam  
 „dimissos esse audierit. Non est feren-  
 „dus iste contemptus: audax facinus  
 „(nisi actutum prospicitur) multo san-  
 „guine reparandum. Unum habeo,  
 „quod petam, creditis pactis standum  
 „inter Reges? si respondetis standum  
 „(quod nemo negaverit) quidni statis?  
 „At perduellis Reginæ familia? si duo,  
 „tres, quatuor, viginti, triginta pe-  
 „duelles, pellite, per nos licet: si pe-  
 „duelles omnes, & omnes pellite, sed  
 „patimini substitui Gallos Catholicos,  
 „pro delectu Christianissimi Regis iuxta  
 „legem in contractu dictam, neque sub-  
 „stituite vos ex natione vestra ignotos  
 „homines, quorum aspectu Regina ter-  
 „retur: foeminas, quarum ignorat lin-  
 „guam, cum quibus nulla ipsi commu-  
 „nicatio sunt in recreationes honestas.  
 „Quanta barbaries? quanta pacti in-  
 „fractio? Non habeo aliud quod adju-  
 „ciam, quam vobis rem esse cum Regi-  
 „cujus causa optima, & immensa ter-  
 „ra marique potestas est: prospicite  
 „bus vestris, quamdiu licet.,

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. LX.

*Bellum ab Angliæ Rege Ministrorum  
impulsu Galliarum Regi de-  
nuntiatum.*

Hæc Bassompetrus ad frivolas Anglorum excusationes, falsasque criminationes vehementiori motu respondit: nec desperatus fuisset sermonis successus, nisi Regis Ministri libidine in bellum, quod destinabant, incaluissent: Igitur horum consilio incitatus Angliæ Rex, instructa nonaginta navium classe bellum Galliarum Regi denuntiat, allatis inopinæ hostilitatis hisce obtentibus. I. Quod *Ludovicus Rex, uti promiserat, Mansfeldio Comiti pro Palatina recuperatione suas copias jungere recusavit: verum cur antea hæc repulsa Angliæ Regem, quominus ejus Sorori nuberet, non absterruit?* II. Quod *Franciæ Rex Hugonotarum urbes cingere, & hosce subditos, etsi pacem Angli Regis opera initam non violassent, opprimere haud destiterit, forte his Ministris incognitæ erant Hugonotarum machinationes seditiosæ contra Regem suum post firmatam pacem excoctæ.* III. Quod *Galli, vigente adhuc pace, plusquam centum Navis Anglicas interceperint: Attamen calido premebatur silentio, quod Angliæ*

Mm 4                      Rex

Sæc. XVII. Rex prior ipse tantam navium copiam  
 A. C. 1627. interceperit, ut in finibus Tamasis, Lor-  
 dinum usque, omnia loca navibus Gal-  
 licis essent refertissima. IV. Quod Bri-  
 tannicæ Rex probe noverit, Richelium Car-  
 dinalem in Hugonotarum excidium juris-  
 ejusque impulsu Franciæ Regem cum Pro-  
 tificæ, Cæsare, & Hispanis sanxisse scire,  
 cujus opera omnes per Europam Calvinisti  
 funditus excinderentur. Verum omnes  
 Anglorum foederatos in Catholicorum  
 excidium conjurasse, quis tum igno-  
 rat? Paulopost Buchingamus, quem  
 Rex classis, hujusque expeditionis Pre-  
 fectum nominabat, Becherium ad Ro-  
 pellenses Calvinistas præmisit, qui  
 significaret, Regem suum compatiens  
 erga eos utpote inique oppressos con-  
 motum classem in eorum opem intro-  
 xisse, urbemque ab obsidione eis im-  
 minente præservaturum, proin ipsi  
 urbem suam Anglicum præsidium re-  
 ciperent, necnon com meatum, aliaque  
 belli subsidia justo pretio submittere-  
 rent, eoquod (ut subdole insinuat)  
 si Franciæ Hugonotis, & Angliæ  
 causa fuerit communis, brevi in Chris-  
 tiana Religio foret; Catholicâ nempe ex-  
 tirpata. Verum Rupellenses haud te-  
 mere suspicati, quod Angliæ Rex sub  
 specioso opis ferendæ obtentu Rupellas  
 suo imperio adjungere intenderet, re-

sponderunt, quod cum ceteris Regni Sæc. XVII.  
 Protestantibus, quibuscum fœderis so- A. C. 1627.  
 cietate juncti essent, ac præcipue cum  
 Rohanæo Duce prius desuper delibera-  
 re vellent: Verum Rohanæus mox una-  
 cum aliis Calvinianæ sectæ sociis sese  
 Anglicæ classi conjunxerat, eandem  
 cum Anglis adversus legitimum suum  
 Franciæ Regem fortunam tentaturus.

## §. LXI.

*Infausta Anglorum expeditio adver-  
sus Ludovicum Franciæ Regem.*

**H**aud diu ab armis utrinque hostili- Monet. Capt.  
 bus feriatum est, Anglis recta in Rupel. Gra-  
 Insulam Ream seu Cracinam moventi- mond. l. c.  
 bus, quo etiam die vigesima Mensis  
 Julii appulsi sunt. Vicissim vero Lu-  
 dovicus XIII. Franciæ Rex Mense Au-  
 gusto validum in Anglos eduxit exer-  
 citum, cui Toyraffium multis jam vi-  
 ctoriis clarum præfecit: Prospera erant  
 Anglis belli primordia, atque expecta-  
 tione felicior in Insulam exscensio; cum  
 enim forte sub illud ipsum primæ no-  
 ctis punctum, statis lunæ conversioni-  
 bus, concitaretur Oceanus, altiore cursu  
 confluentibus undis maritimum litus  
 proxime accesserat Sarmartinianæ arci,  
 quam præter Pratense castellum Fran-  
 ciæ Rex ad defensionem Cracinæ In-  
 sulæ

Sæc. XVII. sulæ ante biennium sat provide extrahi  
 A. C. 1627. curabat. Angli igitur hujus æstuarii  
 beneficio, pelagique vicinia freti, ut-  
 ramque arcem navibus cingunt, ex-  
 plosisque mille tormentis bellicis uni-  
 versam Insulæ oram infestant, non si-  
 ne ingenti strage repulsis copiis, quas  
 Toyraffius excensionem præpediturus  
 opposuerat. Hæc Gallorum clades  
 Martinianæ arcis præsidarios tanta op-  
 presserat consternatione, ut si Buching-  
 hamus recta in arcem cum victrici ag-  
 mine penetrasset, absdubio arcis dedi-  
 tio secuta fuisset. Verum temporis mo-  
 ra convaluit Gallorum virtus; construc-  
 ctis enim in hostium conspectu novis  
 munimentis, reparatisque veteribus,  
 Toyraffius resumptis viribus cum vali-  
 do Equitum agmine in Britannos ef-  
 fusis habenis invehitur, primoque im-  
 petu eos in fugam conversos potissimum  
 partem in mare protrudit: deficienti-  
 bus tamen subsidiariis peditum legioni-  
 bus, quæ Equitatum tegerent, restau-  
 rata pugna Galli Equites retrocedere  
 compulsi sunt, cæsis ex prima Nobili-  
 tate non paucis. Britannis tamen,  
 etsi penes ipsos steterit victoria, longe  
 magis luctuosa cecidit hujus prælii æ-  
 lea, desideratis amplius quingentis gre-  
 gariis militibus, atque octodecim ex  
 principibus belli Præfectis ac Nobilibus,  
 §. LXII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. LXII.

*Martiniana arx ab Anglis incassum  
obsessa.*

Ex hac clade ita deferbuit ferox ille  
 Britannorum animus, ut ex ultimo  
 litore pedem efferre haud ausi, inte-  
 grum absumerent triduum muniendæ  
 adversum Gallos oræ: tandem in ar-  
 cem Martinianam magno impetu, tar-  
 diore tamen movet Buchingamus,  
 atque occupato ignobili pago cum tri-  
 ginta belli tormentis murum quater  
 incipit, cui tamen Toyrassius tam stre-  
 nue vicem reddidit, ut iterata explo-  
 sione vix non universa hostium tor-  
 menta suis armamentariis excuterentur,  
 nihilominus Angli restaurata ver-  
 beratione muro ruinam irruptioni per-  
 commodam aperuerunt, impressionem  
 tamen præpedientibus præsidiariis.  
 Multo remissior fuit Anglorum resis-  
 tentia, eoquod Buchingamus, nec vana  
 spe, ob annonæ, & potabilis aquæ  
 penuriam brevi arcem famis violentia  
 sine suorum clade expugnatum iri con-  
 sideret. Eapropter novo, ac nequi-  
 dem inter barbaros usitato crudelitatis  
 genere exactis omnibus ex Insula Ca-  
 tholicis innoxias præsidiarii militis ux-  
 ores, liberos & Parentes tota Insula pa-  
 lantes,

Sæc. XVII.

A. C. 1627

lantes, vagosque ad arcem proximis propelli iussit, moxque fame impellente reversos fuste & ferro ad arcis mœnia retrusit, ut uxores Maritum, filii Patrem, & infantes obvium quemque lamentis in misericordiam frustra provocantes, negato omni alimenti subsidio, in conspectu suorum misere inedia & fame extinguerentur. Trahebatur jam alter ab obsidione Mensis, & adhuc adversus Gallos ipsum etiam celum continuo imbri, palludosa humo aerisque insalubritate, pugnare videbatur, pene nulla salutis, aut melioris fortunæ spe relicta: unde ex præsidariis religione Calvinianis non pauci ad Anglorum signa transfugere, ceteri corporis viribus, animique robore destituti, & ad bellica munia parum idonei, imbelles atque ignavi evaserunt. quid enim facilius est, quam naturarum omni bellante, mente collabi, ubinam citius ac sæpius, quam in extincta melioris successus fiducia desperatur; Accessit quoque ad malevolæ fortunæ incrementum, per hostium naves interclusus omni ex parte trajectus quo annona, vel militum suppetiæ obfessis advehi, aut saltem literæ extremi periculi nuntia ad Gallicum litus transmitti potuissent, interceptis omnibus, quas Toyraßius emiserat, cymbis. Præterea

terea Buchingamus moræ impatiens, Sæc. XVII.  
 sæpe Toyraſium ad deditiōem provo- A. C. 1627.  
 cabat, eique Britanni ex proſpero ſuc-  
 ceſſu luxuriantes, e caſtris ſuis illude-  
 bant, obſeſſis ſucclamantes, actum eſſe  
 de auxiliis, Regem enim Galliæ ex  
 morbo morti vicinum eſſe. Augebatur  
 interim in dies novis delectibus Buchin-  
 gami exercitus, turmatim accurrenti-  
 bus Sectariis: Rupellenses quoque læ-  
 tis Anglorum ſucceſſibus erecti, lar-  
 vam exuebant, & Rohanæus unacum  
 Conjuge ſua excitandæ apud Septima-  
 nos ſeditioni omnia pertentabat, cui  
 & conſpirabat Sabaudia Dux ex Mon-  
 conio ſædere nuper contra eum pacto  
 exacerbatus: Carolus quoque Lotha-  
 ringiæ Dux clandestina cum Anglis fo-  
 vebat conſilia, validumque exercitum  
 contra Gallos parabat: Enimvero in  
 adverſo litore Richelius Cardinalis cum  
 comœatu ac milite ſubſidiario ſubſti-  
 terat, in omnis intentus occaſiones, per  
 quas, de intromittendo auxilio præſi-  
 diarios moneret, ne ope desperata de-  
 ditionem facerent: aſt sæpe emiſſa na-  
 vigia ſemper ab hoſte fuere intercepta:  
 Nondum tamen animum deſpondit Toy-  
 raſius, ejus quoque Frater nomine  
 Montferrierus maturandi ſubſidii ſtudio  
 incitatus, tres milites natandi peritia  
 animoque clariores ſelegit, qui mare  
 ſolerti



Sæc. XVII. solerti natatu transmitterent, literas  
A. C. 1627. que minutis inclusas tubulis ad Regia  
 castra deferrent: Hi ergo proposito amplissimo laboris præmio impulli, ipsa nocte aquis sese generoso mortis contemptu committunt, ex quibus tamen unus natandi jactantia potius quam scientia insignis, ante exoritur diem undis haustus periit: alter vero, cum vires animusque ad reliquum iter deficerent, sese spontanea deditioe hosti permisit. Tertius denique ceteris violentior Petræus nomine contra venturum fremitus grassari, fluctuum assurgentium minas provocare, frangere tumentes cum spuma gurgites, corporisque varia jactatione crebros piscium morsus eludere cernebatur, at dum prospere hostium classem præterlegeret, per alta noctis silentia ex ipso lacertorum connisu sonitusque fragore profertur. Insectantur illum confestim cynebis Britanni, eumque denso globorum grandine impetunt: ipse vero per natationis ambages momento citius mediis aquis innatat, ac veluti in præceps actus, aquisque obrutus periculum declinat, & bis terque undis emerisus, totiesque in profundum innoxie urinatoria temeritate, immersus instantium patientiam tam dextere fregit, ut hostilis lembus crebro hoc urinantis

nantis Galli dolo elusus, piscisne an Sæc. XVII.  
 homo esset, ambiguus, illum tandem A. C. 1627.  
 insequi desisteret. Hoc defunctus di-  
 scrimine, adhuc patula immanium ce-  
 torum rostra, atrocemque tempestatem  
 paulopost coortam eluctatus, uno mil-  
 liari ab arce Ludovicea sese ex Oceano  
 eiecit, literasque Engolismensi Duci  
 tradidit. His quidem Franciæ Rex de  
 extrema submittendi auxilii necessitate  
 edocebatur: Toyrassio autem nulla pro-  
 ximi subsidii spes per nuntios referri  
 poterat: His in angustiis cum hæreret  
 Toyrassius, repente spes inter medias  
 desperationis nebulas affulsit; quippe  
 Mense Augusto ad medium vergente  
 naves annona onustæ ad octo dierum  
 sustentationem impune advehebantur,  
 tenuæ quidem longæ calamitatis le-  
 vamen, gratum tamen subsecuturi am-  
 plioris auxilii augurium. Paulopost e-  
 tiam ineunte Mense Septembri infere-  
 bantur Regis literæ, quibus præsidia-  
 rii, præter fortitudinis largissime sin-  
 gulis compensandæ promissionem, de  
 validis suppetiis certiores reddebantur.

## §. LXIII.

*Angli non sine clade ex Insula Cra-  
 cina seu Rea expulsi.*

Insu-

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

*Meteran.**Hist. Belg.*

l. 47. p. 511.

*Lond.**Theatr. Eur.*

p. 1020.

*Ludolph.**Theatr. Orb.*

pag. 352.

*Carafa**Germ. rest.*

pag. 269.

Insuper Richardus die duodecima Septembris ex Sancti Benedicti oppido cum Gallicis octo navigiis commectus omnis generis copia onustis solvit, ex quibus tamen una duntaxat ad obsessos appulsa est, ceteris aut a Britanno rejectis, aut vi ventorum alio sum abactis: Nec incruenta erat Toyraffio exigua hæc felicitas; inita enim pertinaci non minus ac ancipiti pugna ejus Frater Montferrierus glande rejectus occubuit: Ita Toyraffius fratres duos in hac obsidione amisit, quorum tamen mortem Galli frequenti Anglorum cæde, ad præprimis Boruelli, apud suos maximæ auctoritatis Viri tenere plectebant. Postera die Buchingamus ex Boruelli nece efferatus, continua plusquam trecentorum tormentorum explosione arcis mænia tam atrociter diverberabat, ut patefacta ruina Angli irruptionem tentarent, motamen præcipiti pedum studio unacum classe retrocedere coacti, eoquod motus esset, ne eos morosius subsistentes, motus Ponti, luna concitatus, intercederet. Premebantur tamen indies magis magisque obsessi nedum fame, hel & aquæ potabilis, omnisque medicamenti sanandis morbis idonei penuria, unde vis luis intra præcordia, visceraque sævius grassari cæperat, doloris

que atrocitate patientiam virtutemque Sæc. XVII.  
 omnem excutiente, tantum non ad fa- A.C. 1627.  
 lutis desperationem, tumultusque im-  
 potentiam ventum erat: Nec parum  
 valebat ad molestiam intendendam om-  
 nis propemodum consilii ac levaminis  
 defectus: Verum certe, quod nemo  
 subinde in diuturna calamitate sperat,  
 id non raro ex obliquo fit, ac frequen-  
 ter ibi servat providus Dei oculus, ubi  
 semetipsum homo dudum abjecit: nam  
 ecce! cum omnes præfidiarii diffide-  
 rent, vitæque eos tæderet, mortis-  
 que metus angeret, propitia maris al-  
 titudine viginti quinque naves milite  
 & annona abundantius instructæ, at-  
 que incolumes Sanmartiniano litori  
 appulsæ spem salutis, animumque red-  
 dunt, Mox etiam integræ Gallorum  
 legiones haud procul a Pratenſi arce  
 contrahuntur, propiusque instant sub-  
 fidariæ Gastonis Regii Fratris copiæ,  
 quarum adventu præfidiarii viribus  
 aucti, Britannos tertio impressionem  
 tentantes tam strenue repulerunt, ut  
 Buchingamus desperatis rebus obsidio-  
 nem solvere decerneret, jamque belli  
 tormentis in naves reductis vasa con-  
 clamaret, mox vela in Altum daturus:  
 Verum Subifius, & Rupellenses Hugo-  
 notæ importunis precibus, necnon An-  
 glici auxilii & annonæ copiosius adve-  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII.* Nn hen-

Sæc. XVII. A. C. 1627. hendæ facta pollicitatione Buching-  
 mum eo adegere, ut ultimo conata  
 fortunam tentare decerneret. Igitur  
 signo dato, in arcem undique uno tem-  
 pore impetum facit Britannus miles,  
 superantur ascensione munimenta ex-  
 tra arcem posita: recedit ultro præ-  
 diarius miles, non ut fugiat, sed ut  
 intra muros collectus fortius resistat,  
 aut vincere, aut mori paratus: Nec de-  
 fuit animosis conatibus optati eventus  
 prosperitas; nam nutante diu in utra-  
 que parte fortuna, tandem Buching-  
 hamus ad vincendum obfirmatum Gal-  
 lorum animum frangere desperans, ho-  
 vesperam receptui canere iussit, de-  
 deratis suorum plusquam sexcentis,  
 ceteris abire permisis, quos tamen  
 Schombergii legiones, quæ nuper in  
 Insulam venerant, aggressæ tanto ter-  
 rore affecerunt, ut sine prælio Anglos  
 dissolutis ordinibus, ac continua &  
 promiscua cæde extenuatos ad usque  
 litora maris propellerent, iis, qui fugam  
 evaserant, in paludum cæno demeritis.  
 Cecidere hac acie Anglorum milia  
 octingenti, capti quinquaginta Nobiles  
 ac centum quinquaginta gregarii milites;  
 insuper quadraginta quatuor vexilla,  
 & quatuor majoris molistormen-  
 ta victoribus in prædam cessere. Post  
 ea Franciæ Rex Martinianam arcem de-  
 strui

strui iussit, cuius obsidio Angliæ Regi Sæc. XVII.  
 octo ferme suorum millium impendio A. C. 1627.  
 stetit, nonnisi ex toto exercitu mille  
 sexcentis in Angliam reportatis. Tum  
 demum patuit, Deum causæ æquitati,  
 nunquam fidelius, quam cum ad sum-  
 mum venerit calamitas, opitulari, ni-  
 hilque esse necessitate potentius, nec  
 aliquid desperatione meliorum con-  
 tumacius.

## §. LXIV.

*Rupellanæ obsidionis initia.*

Infausta hæc Anglorum expeditio Ru-  
 pellenium Calvinistarum pertina-  
 ciam, suumque Regem legitimum ac  
 patriam opprimendi aviditatem adeo  
 non fregerat, ut potius extrema quæ-  
 vis oppetere, quam se Regis imperio  
 subicere decernerent: Eo ex fine in  
 Uticensi conventiculo, impellente Ro-  
 hanæo Duce, militum delectus indixe-  
 re, ac communi omnium suffragio ar-  
 morum imperium eidem restituentes,  
 solempni sacramento fidem omnium pro  
 tuenda Reformatorum salute, & liber-  
 tate publica adegerunt, præscripta hac  
 formula: *Pro anathemate audiat, quicun-  
 que ab Anglo defecerit: quicumque paci sub-  
 scripserit sine Anglo, sit proditor. Non  
 tamen in ejusdem rebellionis societatem*  
 Nn 2 ad-

Sæc. XVII. adhuc descenderunt Montalbenfes, Car-  
 A. C. 1627. renfes, Fuxienfes, aliique, quos Gu-  
landus Vir factionum expers, etfi So-  
 ctarius, in Regis fide retinuit, frementis  
 Rohanæo, qui sectæ ruinam ex diffo-  
 di sectariorum studio vaticinatus est.  
 Præterea Angliæ Rex, eo quod Buchin-  
 gamus omnem infausti belli culpam in  
 Rupellenfes rejeciffet, eis subsidia, que  
 petebant, denegabat: nihilominus Am-  
 liani, Ruthenenfes, Albigenfes, Man-  
 Afylani, Apamienses, & Carlariani Cal-  
 viniſtæ in fide paulo ante data nutu-  
 cæperant, eorumque quidam ad pri-  
 mum Rohanæi adventum ultro portas  
 urbium aperuerunt, alii ſegniter reſi-  
 ſtentes prævalenti numero ceſſerunt.  
 Cum ergo Ludovicus Rex rebelles hec  
 ſectarios nec clementia, nec pacis com-  
 poſitione in obſequio contineri pote-  
 cerneret, certusque eſſet, nullum de-  
 ceptum fore, qui ſibi debitum detrectare  
 obſequium auderet, ſi Rupella ſecta  
 armamentarium, perduellionis caput,  
 omniſque mali ſons ſubigeretur, hanc  
 perfidam, ſemperque rebellem hanc  
 oppugnare, terra, marique concludere,  
 ac tandem in ordinem redigere ſtatuit.  
 Hanc in rem præmiſerat Condæum  
 Principem, unacum Montmorantio &  
 Ventadurio Mareſcallis, qui Rohanæum  
 Agui-

Aquitaniæ & Occitaniæ sectarios in suas Sæc. XVII.  
 partes pertrahere intentum nullo loco A. C. 1627.  
 consistere passi, multas rebellium urbes  
 occuparunt. Præterea Gasto Ludovici  
 Regis Frater proxime Rupellanæ urbi  
 accesserat, assiduaque ac sæpius sat  
 cruenta velitatione obsessos fatigavit,  
 viarumque obstaculis opportune admo-  
 tis omnem ad comneatum facultatem  
 terra præscidit: objecta quoque erant  
 Rupellensium eruptionibus plusquam  
 tredecim propugnacula, faxeæ moles,  
 navalesque aggeres, quibus omnes  
 Oceani angustia obstruebantur, Anglis  
 aditu, & Rupellanis exitu prohibendis.  
 Provide etiam Richelius Cardinalis in-  
 domitum mare adversum æstus violen-  
 tiam ferrea catena, trabibus, tignis,  
 ac maximæ molis arboribus, faxisque  
 prægrandibus, necnon navigiis ponde-  
 rose saburratis, atque in undas demer-  
 sis domuit, & constrinxit; molemque  
 admirandam construxit, eaque portum  
 clausit. Denique urbi adolvebatur  
 classis Regia, quæ centum quadraginta  
 navibus constabat.

## §. LXV.

*Religio Catholica in variis Provinciis  
 per Imperatorem restaurata.*

N n 3

Se-



Sæc. XVII. Sedato rusticorum tumultu Ferdinandus Cæsar sectam, quæ tot turbarum, seditionum, bellorumque origo erat, ex hæreditariis suis ditibus eliminare statuit, ac præprimis ex Austria infra Anasum omnes Lutheranos Præcones ac Ludimagistros promulgato edicto intra præstitutum temporis spatium emigrare iussit; cum vero ab hujus Provinciæ Rectoribus in sua hæresi obstinatis, eorumque pravo exemplo misera plebecula frequentissime corrumperetur, hique Religioni Catholice nomen dare iussi, ad Austriæ Nobiles confugerent, illorum patrocinio tuto se fore rati: hinc Cæsar die vigesima nona Martii singulis Nobilibus præcepit, ut intra trimestre vel ad veram fidem redirent, vel ex Provincia venditis bonis abscederent. Querebantur etiam quidem Nobiles de hujus edicti severitate, immerito tamen, cum hanc penam sibimetipsis in caput suum acceperint; si enim tam ipsi, quam Bohemi turbas & rebelliones sub obtentu suæ sectæ non excitassent, omnia sua privilegia, etiam ea, quæ *literis Moraviae* indulta fuere, confirmata habuissent, nunc vero, cum a primis hæresis suæ incunabulis non sine maximo Cæsarum, Principum, Imperii, totiusque Christiani orbis damno toties seditionibus

*Lotich. rer. Germ. l. 20. cap. 4. Carafa comm. de Germ.*

bus suis omnia fusdeque vertissent, **Sæc. XVII.**  
 hinc Cæsar pensatis hisce malis nihil **A. C. 1627.**  
 a priori sententia decessit: Eodem tem-  
 pore Cæsari relatum erat, Austriæ in-  
 ferioris subditos a Divinis officiis præ-  
 pediri, eoquod Nobiles in diebus Do-  
 minicis festisque venationes, piscatio-  
 nes &c. instituerent, ergo Cæsar die  
 decima Julii præcepit, ne deinceps  
 præfatis diebus ejusmodi actus fierent.  
 Die autem decima quarta Septembris  
 inhibuit, ne imposterum Viennæ vel  
 in Archiducatu Austriæ infra Anasum  
 Calvinianæ sectæ conventicula habe-  
 rentur, nec Prædicantes sub Augusta-  
 næ Confessionis profitendæ obtentu Cal-  
 vini dogmata spargere permetterentur,  
 eoquod subditi, ex tantis fidei Contro-  
 „versis, quas Sectarii prædicantes sub  
 „prætextu Augustanæ Confessionis in-  
 „troducunt, adhuc in majores errores  
 „allecti, ipsam divinam Majestatem, ac  
 „suos Superiores, atque præpositos Ma-  
 „gistratus negent, perjurent, atque in  
 „perpetuam suæ animæ perditionem  
 „ducti pereant: prout ipsi supra nomi-  
 „nati prædicantes in præfatis suis con-  
 „cionibus, adhortationibus, scriptis &  
 „palam in typis editis libris, & tracta-  
 „tibus contra veram & unice salutarem  
 „Catholicam religionem, & contra Pa-  
 „pam, Præsules aliosque tam Eccle-  
 „siasti-

Sæc. XVII. „fiaticos, quam Sæculares, summi &  
 A. C. 1627. „inferioris status Catholicos, audacil-  
 „sime, nullo prorsus habito respectu,  
 „pessimis calumniis, peioribus adhuc  
 „illusionibus usi fuerunt, necnon Cæ-  
 „sari a Deo subjectos, & commissos sub-  
 „ditos ad nullam Cæsareis mandatis,  
 „& legibus obedientiam obstrictos esse  
 „adhortati sunt, & etiamnum adha-  
 „tantur, perniciosisque toti patriæ ho-  
 „derationibus, prohibitis conventio-  
 „lis, malis correspondionibus, seditio-  
 „nibus, & rebellionibus causam præ-  
 „bentes, illas ipsas pro illorum viribus  
 „urgent, & promovent. Insuper tam  
 „aperte, quam occulte omni hostili ni-  
 „Cæsari exitium minantur, suos fidei  
 „assecras, ad invocandum ab Austria-  
 „cæ Domus hostibus auxilium impel-  
 „lunt, Cæsari, aliisque Principibus Ca-  
 „tholicis debitam obedientiam, & re-  
 „spectum demere conantur, publicas  
 „que preces imperant populo, eo fine,  
 „ut sua Divina Majestas Cæsaris hosti-  
 „bus victoriam impertiri velit, præ-  
 „terea imagines SS. Petri & Pauli pe-  
 „iporum Ludimagistum comburi si-  
 „cerunt; denique de Augustana Cæ-  
 „fessione nihil aliud observant, quam  
 „quod ipsorum vagabundo spiritui pla-  
 „cet, & acceptabile existit, maximas  
 „animorum pertinacias contra Cæsarem  
 „tan-

„tanquam Dominum, & Ducalem Prin-  
 „cipem causantes, Catholicosque om-  
 „nibus in locis pessime, & injuriose per-  
 „sequentes.„ Has edicti sui rationes  
 allegabat Cæsar, ac propterea omnibus  
 Provinciarum Rectoribus injunxit, ut  
 sectariis hisce Præconibus nullum pror-  
 fus suæ sectæ munus exercere conce-  
 dant, nec eis ultra constitutum tempus,  
 sive palam, sive occulte, nec una qui-  
 dem nocte permanere permittant, ido-  
 neos autem Sacerdotes Catholicos e-  
 jectis Prædicantibus subrogari curent.

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

## §. LXVI.

*Instructio Pragensi Archiepiscopo,  
 aliisque ad Bohemæ reforma-  
 tionem deputatis a Cæ-  
 sare data.*

Quoniam vero Cæsar compertum ha-  
 beret, quod præcipue in Bohemæ  
 Regno Sectariorum potentia, æque ac  
 violentia insuperhabitis Archiepiscopi,  
 aliorumque Ecclesiasticorum hortatio-  
 nibus, precibus, atque increpationi-  
 bus per integros sex annos impigre ad-  
 hibitis Catholicæ Religionis restaura-  
 tionem semper præpedierit, hinc vali-  
 diora media adhibere compulsus, Er-  
 nestum Adalbertum de Harrach Pra-  
 gensem Archiepiscopum, necnon Co-  
 mitem

Nn 5.

mitem

Sæc. XVII. mitem de Martinitz, Fridericum de  
A. C. 1627. Tallemberg, & Christophorum Wrat-  
 slavium auctoritate Cæsarea deputabat,  
 ut omni cura religionem Catholicam in  
 pristinum statum restituere, omnesque  
 subditos ad rectam semitam reducere,  
 & regnum a multiplici errore expurga-  
 re satagerent, ut tandem illud sub uno  
 Rege, lege, & Deo, majore quam  
 hætenus, pace gubernari posset. Hanc  
 in rem Ferdinandus die quinta Febru-  
 arii, uti ante biennium die vigesima  
 quinta Aprilis circa reformationem in  
 Principatu Carinthiæ instituendam de-  
 creverat, hisce Deputatis certam re-  
 formandi normam præscripsit, cujus  
 summa hæc erat. „Præprimis curabit  
 „Archiepiscopus, ut ex Religione  
 „cujuscunque ordinis meliora sub-  
 „jecta, quæ in Bohemiæ regno re-  
 „perienda, atque huic negotio melius  
 „adhibenda videbuntur, particulariter  
 „vero illos, qui hætenus in præfato  
 „nostro hæreditario Bohemiæ regno in-  
 „convertendis Lutheranis sedulam ma-  
 „narunt operam etiam concionando, et  
 „docendo exercitati, & in controversiis  
 „sunt periti, accipiantur, & hinc im-  
 „in provinciis, quantum necesse erit  
 „(quod Consilio & rationi suæ dilectio-  
 „nis reliquimus) pro instructoribus con-  
 „stituant, iisdemque certam instructio-  
 „nem

„nem, quomodo nimirum cum instituen- **Sæc. XVII.**  
 „dis sectariis inhabitatoribus nostri hæ- **A. C. 1627.**  
 „reditarii Bohemiæ regni procedere  
 „debeant, tradant: ut tandem in Com-  
 „missione pro uniuscujusque loci con-  
 „stitutione adhiberi queant, simulque  
 „ea, quæ in ista Reformatione impe-  
 „dimenta oriri, vel occurrere possint,  
 „uniuscujusque loci Superiores audiant,  
 „vel a Parochis sciscitentur. Etsi for-  
 „san præfati nostri Commissarii nota-  
 „rent unum vel plures ad Sanctæ Ca-  
 „tholicæ, & solum Salvificæ Religio-  
 „nis conversionem tardum aut omnino  
 „obstinatum se exhibere, talem vel ta-  
 „les adhortando serio admoneant, ter-  
 „minumque ad Conversionem, aut ad  
 „regni emigrationem (nostri tamen com-  
 „missarii hac in parte sua utantur pru-  
 „dentia) & secundum rei Constitutio-  
 „nem in uno & altero loco hujusmodi  
 „terminos constituent, & præfigant.  
 „Porro nostris Commissariis virtute hu-  
 „jus hoc quoque *mandatum volumus*, ut  
 „impedimenta, quæ huic Commissio-  
 „nis negotio obsistere possent, loci Su-  
 „perioribus intimetis, insinuetis, ut  
 „pro posse occurrant, ac juste percun-  
 „ctentur ab eis, quales in uno quoque  
 „loco Parochiæ, & quales redditus Pa-  
 „rochi habeant (quorum omnium, con-  
 „signationem in scriptis petant) ut  
 „præ-

Sæc. XVII. „præcipuos instructores in eisdem locis  
 A. C. 1627. „ubi convenerint, quotidie concionari  
 „permittant: quibus deinde discenden-  
 „tibus unus vel duo instructores relin-  
 „quantur, Parochisque insinuetur, ut  
 „una cum instructoribus (quod si forte  
 „Parochus in uno loco foret idoneus  
 „de uno solo instructore provideri pote-  
 „rit) sedulam suam operam non omit-  
 „tant. Proinde nostri Commissarii Su-  
 „perioribus uniuscujusque loci severe  
 „mandabunt, cum ista duntaxat Refor-  
 „matio nostro nomine, nostroque Cle-  
 „mentissimo velle sit instituta, diligen-  
 „tissime prospiciant instructores, omni-  
 „ex parte auxilientur, subditos ad de-  
 „bitam obsequentiam stricte urgeant,  
 „annexa comminatione, quod si obe-  
 „dire recusarint, severiora media fore  
 „adhibenda. Quomodo tandem nostri  
 „Commissarii meliori modo ad conse-  
 „quendum propositum Commissionis  
 „negotium aggredi poterint, ipsorum  
 „solito Consilio pro rei circumstantiis  
 „committendum penitus duximus. To-  
 „tius autem operis principium in nostro  
 „Pragensi civitate erit inchoandum,  
 „nostri Commissarii in huic modum in-  
 „in uno quoque loco executâ Commis-  
 „sione in alium proficiscantur, ubi simili  
 „modo, donec totius Bohemiæ situm  
 „peragrarint, procedere satagent.

„Ut demum totius Reformationis Sæc. XVII.  
 „negotium magis promoveri, & ad A. C. 1627.  
 „optatum finem traduci queat, nostris  
 „Commissariis potestate hujus plenipo-  
 „tentiam concessam volumus, ut disces-  
 „suri unum vel duos, vel quantum loci  
 „situs postulaverit, idoneas Catholicas  
 „personas, quarum vita integra, sub-  
 „delegant, ac derelinquant, ipsi vero  
 „instructores ante omnia edoceantur,  
 „ut nostris Commissariis singulis men-  
 „sibus sinceram relationem de unius-  
 „cujusque loci Reformationis successu  
 „transmittant, ut Commissarii talem  
 „postmodum relationem, aliasque suas  
 „expeditiones, de mense in mensem  
 „absque mora, adjuncta ipsorum opi-  
 „nione, ad nostram Regiam Bohemiæ  
 „Cancellariam transcribere, nostram-  
 „que ad facilitandas difficultates, ordi-  
 „nationem præstolari habeant. Ubi  
 „etiam instructores adverterint, quod  
 „si in uno aliquo loco aliquid occurre-  
 „ret, informationi obnoxium, id no-  
 „stris Commissariis particulariter, si  
 „prolongationes terminorum necessa-  
 „riæ vel spes ulla foret, intiment. Quo  
 „facto si Cardinalis, aliique adjuncti  
 „Commissarii consultum opinarentur,  
 „hujusmodi prolongationem, ista ta-  
 „men conditione concedant, ut elapso  
 „temporis concessi termino, nisi ad Con-  
 „versio-



Sæc. XVII. ,,versionem se disposuerint, tales con-  
 A. C. 1627. ,,tumaces & repugnantes ad sistendum  
 ,,petantur, nec istos in suo errore mo-  
 ,,rientes sepelire, vel viventes Can-  
 ,,num poenis afficere statuatur. Quod  
 ,,spectat ad instructorum numerum,  
 ,,quando nimirum, & quot isti opes  
 ,,sint adhibendi, aut qui hinc inde di-  
 ,,sponendi, hoc Cardinali, & Archiepi-  
 ,,scopo, eorundemque iudicio commi-  
 ,,titur. Porro si nostri Commissarii ab-  
 ,,verterent, quod huic Reformationis  
 ,,negotio in aliquo loco vis inferretur,  
 ,,ad illorum intimationem nostro Ge-  
 ,,nerali confestim mandabitur, illos  
 ,,hinc inde militibus in nostro hæredi-  
 ,,tario Bohemæ regno jacentibus,  
 ,,quantum necesse habuerint, adjuvare,  
 ,,nostri tamen Commissarii bene adre-  
 ,,tant, ne causa auxilii novus tumul-  
 ,,tus fiat. Quia vero inter alia erudi-  
 ,,mur, in nostro hæreditario Bohemæ  
 ,,regno adhuc Dominos nonnullos, &  
 ,,nobilium Status a facta nuper Sectario-  
 ,,rum prædicantium expulsionem, ni-  
 ,,hilominus similes, aliosque hujus-  
 ,,modi Seduciores, sub prætextu ali-  
 ,,cujus officii, sustentare: nos tales  
 ,,Controversias, ratione quarum vir-  
 ,,gus de uno errore in alium ductum,  
 ,,sæpius ad novas rebelliones, aliosque  
 ,,tumultus allicitur, incitaturque, in  
 ,,nostro

„nostro hæreditario Bohemiæ regno Sæc. XVII.  
 „exercitari nullo modo cogitamus. A. C. 1627.  
 „Quare Commissarii nostri diligentissi-  
 „me inquirent, præsertim in eisdem  
 „locis, ubi usque modo morari suspi-  
 „cantur: cujus rei postquam certam  
 „habuerint cognitionem, unum vel al-  
 „terum nobilem ejusmodi farinae ho-  
 „mines, vel Ludimagistros alere, ta-  
 „les vel talem, primo sub amissione  
 „ipsarum Ecclesiarum, pro secundo sub  
 „certa pœna, & privatione alicujus  
 „partis, vel omnium ipsorum bonorum  
 „plectant. Si vero adhuc nihil efficerent,  
 „talesque antedictos homines dimittere  
 „recusarent, & ultra deprehenderen-  
 „tur, nobis insinuetur, ad constitutam  
 „positæ pœnæ executionem ordinan-  
 „dam. Quod deinde ad cives cujusque  
 „Civitatis attinet, sequenti modo hoc  
 „in Reformatione observatum, & pro-  
 „cessum volumus, ut si antegressa suf-  
 „ficienti instructione, Reformationi ali-  
 „quis se publice contumacem ostende-  
 „ret, & ita quidem, ut ceteri scanda-  
 „lizentur: talis e vestigio provincia e-  
 „migrare jubeatur. Attamen si alii,  
 „licet Religionem non susceperint, abs-  
 „que scandalo sese continerent, suos-  
 „que liberos vel consanguineos in Ca-  
 „tholica Religione informare permit-  
 „terent, similes diutius sustineri pote-  
 „runt,

Sac. XVII. „rint, & longior terminus eis concedi.  
 A. C. 1627. „Ut etiam omnes nostri obsequentes  
 „subditi nostrum paternum amorem &  
 „curam & quod Clementissime illis ve-  
 „limus, videre & cognoscere possint,  
 „erga sæpe nuncupatos nostros Refor-  
 „mationis Commissarios in Cæsarea &  
 „Regia gratia nos declaramus, quod si  
 „unus vel alter se ad Catholicam con-  
 „verterit Religionem & a Cardinali Ar-  
 „chiepiscopo hac ipsa de conversione  
 „certiores facti erimus, omnium ratio-  
 „ne rebellionum, & delictorum totali-  
 „ter veniam dabimus, unicuique civi-  
 „tati sua propria bona restituentur, non  
 „minus processus contra privatos ci-  
 „ves, qui se ad Catholicam fidem ap-  
 „plicuerunt, prorsus tollentur. Quod  
 „nostri Commissarii in administranda  
 „Commissione unicuique loco, & civi-  
 „tati intimare & notificare scient. Deinde  
 „ceps quod Catholicorum Dominorum  
 „& nobilium subditos concernit sive  
 „sint in civitatibus, aut pagis, tales  
 „si post antegressam informationem ab-  
 „huc pertinaces se exhiberent, per de-  
 „centia media coacti, ipsi, & ipsorum  
 „Liberi in Catholica Religione educen-  
 „tur. Commissarii præterea nostri  
 „ante omnia sicut & Magistratus ipsi  
 „singulariter considerabunt, ut omni-  
 „bus in locis, si non præceptores, sal-  
 „tem

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

tem Catholici Ecclesiarum scribæ suscipiantur, etiam de Parochis pueri in Catechismo diligentissime instructi, parentesque suos liberos: & si non Catholici ad instruendos mittere, vel ab illis accipere, mandabunt.

Quo ad Sectariorum Dominorum subditos nulla prorsus utantur differentia, sed unum, post alium loci situm aggredi, & tantum cum Lutheranis, quantum cum Catholicis procedere habebunt, præsertim cum apertissime constet, multos Catholicorum Dominorum subditos propter confines Lutheranos vicinos ad Religionem se convertere recusare. Quia etiam experientia docet per Sectarios officiales hinc inde in nobilium bonis & territoriiis degentes, plus vel ad minimum tantum, quantum per ipsos prædicantes subditos seduci incrementumque Catholicæ Religionis impediri, quod nos in nostro Bohemiæ regno, connivere, & ita fieri nequaquam cogitamus. Quapropter nostri Reformationis Commissarii, etiam hac in parte diligentissimam navabunt operam, ut in exequenda sua Commissione hujusmodi homines demigrare quam primum faciant, atque ipsorum loco Catholicos imponendos sedulo curabunt, ubi quoque designatione termini opus

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.* O o „erit,

Sæc. XVII. „erit, id solitæ Commissariorum præ-  
 A. C. 1627. „dentiæ committimus. Quod si vero

„aliquis debitam obsequentiam præstare  
 „recusaret, nostrorumque Commis-  
 „sariorum mandatum sperneret, vel om-  
 „nino recalcitraret, Commissarii nobis  
 „nobis innuant, ut securius remedium  
 „adhibere possimus. Rursus cum ali-  
 „qui alii adhuc nostrum hæreditarium  
 „Bohemiæ regnum inhabitent, qui im-  
 „mobilia bona habent, uti rustici in  
 „provinciarum tabulis quoque partici-  
 „pes, & alii Emphiteutæ Regis ceteri,  
 „cum similibus sicuti cum civibus ob-  
 „servatum volumus,

„Et quamvis consultum, & Reli-  
 „gionis incrementum, etiam incrementum Catholice  
 „Religionis idoneum, & efficaciter  
 „stere videamus, si unus aut duo Epi-  
 „scopatus in nostro Bohemiæ regno in-  
 „stituerentur; id tamen nostris Com-  
 „missariis ad deliberandum committi-  
 „mus, Clementissime jubentes, ut quid  
 „de hac re agendum, Consilium in-  
 „ciant, ipsorumque opinionem nobis  
 „transmittant.

„Quid dein ad Sectariorum sepe-  
 „turam, desponsatarum personarum Co-  
 „pulationem, orationes, jejunia, &  
 „Libros Sectarios spectat, ipse Car-  
 „nalis Archiepiscopus ratione Archiepi-  
 „scopalis officii providere sciet. Quia  
 „vero

„vero illis in Religione nondum infor- Sæc. XVII.  
 „matis copulatio per Catholicos Sacer- A. C. 1627.  
 „dotes denegari, minus infantum Ba-  
 „ptismus ratione carentium Catholico-  
 „rum propatrum recusari nequeat,  
 „Nostri Commissarii, specialiter Car-  
 „dinalis Archiepiscopus cum similia  
 „magis suum concernant Episcopale  
 „officium, diligenter quid hac ex parte  
 „faciendum considerabit. Tandem &  
 „ultimo cum non parum vitæ exem-  
 „plarum Ecclesiasticorum intersit, ut suis  
 „a Deo, & Superioribus commissis ovi-  
 „bus tam verbis, quam actibus inte-  
 „rioribus, exterioribusque præluceant,  
 „& ad imitandum invitent, præcipue  
 „Cardinalis Archiepiscopus quatenus  
 „loci Ordinarius providebit, & in Ec-  
 „clesiasticos suam curam intendet, ut  
 „omnibus ob defectum Ecclesiasticorum  
 „lamentantibus qualificatis personis  
 „succurratur, & tandem omne id, quod  
 „Servitiis Divinis huic Reformationis  
 „negotio & incremento Catholicæ Re-  
 „ligionis obnoxium est, avertatur, &  
 „tollatur.,

Ceterum non adeo amplius, ut spe-  
 rabatur, reformationis fructus Cæsaris  
 Zelo, & Præsulum laboribus ac mo-  
 lestiis respondebat; quamvis enim ex  
 prima Nobilitate nonnulli civesque ho-  
 nestiores, præcipue exilii metu ad fi-  
 dem

Sæc. XVII. dem Catholicam reversi, plebeios exem-  
 A. C. 1627. plo suo ad saniora pertraxerint, potissi-  
 mi tamen ex Hussitis, Calvinistis,  
 & Lutheranis suæ quisque sectæ per-  
 nacius adhærehant, plurimorum Equi-  
 tum, Procerumque patrocinio sussultu,  
 eoquod hi in Cæsareo decreto nondum  
 comprehensi essent: Cæsar igitur, ne  
 horum pertinacia plebæis pravo foret  
 exemplo, etiam ad Bohemiæ & Mor-  
 viæ Nobiles & Equites decreti severi-  
 tatem die trigesima prima Julii exten-  
 dit, cunctis Bohemiæ Nobilibus præ-  
 cipiens, ut infra semestrem Catholicam  
 Religionem suscipiant, vel si malint,  
 e Regno discedant, suaque bona ven-  
 dere, ejectionisque Prædicantibus, in-  
 ctus juris Patronatus Parochis Catho-  
 licis distribuere teneantur: præfixum  
 tamen terminum Cæsar, ad Nobilium  
 preces usque ad finem Mensis Maii anni  
 proximi, die sexta Decembris protor-  
 gavit. Sub idem tempus Cæsar Prag-  
 gam adventans, Regni comitia habuit,  
 in quibus statuit, ut Ordo Ecclesiasticus  
 primum pristinumque locum in Sedi-  
 sionibus haberet: postea Eleonora Im-  
 peratrix in Bohemiæ Reginam, & Fe-  
 dinandus III. in ejusdem Regni Regem  
 solemniter inaugurati sunt.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. LXVII.

*Herbipolensis Principum Catholicorum  
conventus pro amovendis belli  
calamitatibus.*

Sicut nulla felicitas in terris sine in-  
vidiæ sæcibus fluit, nec ulla facile  
gloria adversus æmulum artibus satis  
tuta consistit, ita continuata armorum  
prosperitas, constans Cæsaris fortuna,  
indeque accrescens Austriacæ, Bava-  
ræque Domus potentia omnibus fer-  
me Electoribus, Imperiique Principi-  
bus permolesta acciderat, ac primo  
quidem Prot. stantes tot, tamque am-  
plis Wallensteinii & Tiliî victoriis in-  
gentem cladem suæ sectæ inferri, bo-  
naque Ecclesiasticis violenter ablata, &  
hucusque inique usurpata sibi eripi ve-  
rebantur: Catholici vero, cum auctæ  
Cæsaris potestati, utpote ad promoven-  
dam rem Catholicam oppido proficuzæ  
palam sese opponere non auderent, de  
militum, qui in hibernis agebant, li-  
centia, rapinis atque exactioibus im-  
modicis querebantur: Hanc ob rem  
Electores, aliique Catholici fœderis  
Principes Herbipoli conventum habue-  
re, ut de amovendis belli incommodis,  
necnon de firmanda pace deliberarent:  
Diu de remedii ratione disceptatum,

Oo 3

nihil

*Carafa*  
*Germ. rest.*  
*pag. 279.*  
*Adlxr. An-*  
*nal. Boic.*  
*part. 3. l. 12.*



Sæc. XVII. nihil tamen ob consiliorum diversitatem conclusum, tandem vero potissimis placuit, ut pro Sacro Ordine Rheinhardus Meternichius Comes, & sæcularium nomine Maximilianus Curtius ad Cæsarem ablegarentur, qui querelis de militum licentia expositis, præcipue Wallensteinii copias in officio contineri, ac postmodum annuente Cæsare Mulhusii conventum haberi peterent.

## §. LXVIII.

*Danica Rex a Bavaro - Cæsaris ex tota Germania expulsus.*

*Bougeant  
Bellum tric.  
t. I. §. 57. l. I.  
Theatr. Orb.  
cap. I.  
Meteran.*

**P**acata Austria, Hungariaque Wallensteinus novis suppetiis auctus in Moraviam, Silesiamque irrupit, rapidoque victoriæ cursu Sternbergam, Torpaviam aliasque urbes antea a Magdeburgensi Administratore, qui Ernesto Viariensi in armorum Imperio successerat, occupatas, qua vi qua deditio cepit, residuasque Danici exercitus copias, quibus Baudisus præerat, ad fines Poloniæ in Marchiam e Silesia profugere compulit. Verum Pechmanus a Wallensteinio submissus, haud procul Schaverino Poloniæ oppido fugitivos affecutus, eos tam ingenti clade prostravit, ut pauci admodum unacum Bau-

Baudifio evaderent, ceteri vero ab a-  
 greffibus trucidati, aut in sylvas pro-  
 fugi, misere perirent. Interea vero  
 Christianus Daniæ Rex, postquam Gal-  
 licis, Anglis, & Batavis copiis exer-  
 citum suum ad quadraginta armatorum  
 millia auxerat, positus inter Visurgim  
 & Albim castris Luneburgensem ditio-  
 nem vastavit: e contrario Tillius die  
 nona Augusti trajecto Albi flumine, oc-  
 cupatoque Danorum ponte Havelber-  
 gam, Aldeburgum, aliasque Marchiæ  
 urbes occupavit, altera quoque die  
 ambo Turriani Comites, qui Dani Re-  
 gis signa sequebantur, unacum præsi-  
 diariis Busemberga arce & urbe egressi,  
 ingentem armorum apparatus Tillio  
 reliquere: Præterea Wallensteinus Da-  
 nos in Holfatiæ Ducatum Jutlandiam  
 usque profugere compulit, & Comes  
 Schlickius Marchionis Durlacensis co-  
 pias, unacum quadraginta tribus vexil-  
 lis, omnibusque belli tormentis captas  
 abduxit, eo victoriæ proventu, ut to-  
 ta inferior Saxonia victricibus Cæsaris  
 armis cederet, ipsa etiam Guelpherby-  
 tensi urbe a Papenheimio, omnibusque  
 Visurgi & Albi interpositis urbibus a  
 Fürstenbergio & Anholtio occupatis,  
 tandem vero Daniæ Rex ex tota Ger-  
 mania in Chersonesum suam profugere  
 coactus est, insequente eum victrici

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

Sæc. XVII. A C. 1627. Cæsaris exercitu. Cum vero Ferdinandus Imperator nequaquam Regionibus aut alienis, aut innocuis, sed vel rebellibus, vel rebellium fautoribus bellum inferret, semperque subiectis parcere paratus esset, hinc Holfatix Duci cunctas a Tilio occupatas urbes, necnon Brunsvicensi Duci Guelpherbytum restitui iussit: Fors hæc elementia, aut potius benignioris fortune desperatio Daniæ Regem impulit, ut per Holfatix Ducem rursus de pace agi rogaret: totum tamen negotium ad Mulhusianum conventum est relictum, eoquod Rex omni in Imperium juri, usurpatisque Episcopatibus perpetuo cedere recusaret, meliora sperans, postquam Grollam urbem ab Herico Arausionensi Duce Hispanis ceptam compererat.

## §. LXIX.

*Colmariensis tractatio in causa Religionis & Palatini Comitis.*

*Brachel.  
Hist. 1. 3.  
Ludolph.  
Theatr. Orb.  
cap. 2.  
Meyeran.  
l. 46. p. 513.  
& 541.*

Ut autem in Mulhusano Conventu dissidiorum compositio magis prospere flueret successu, annuente ipso Cæsare ad Mensem Julium Colmarix, quæ Imperialis Alsatiæ civitas erat, præventus indicabatur. Confluxerant omnes, quorum intererat, Principes.

ac Legati; probabantur etiam Ferdi-  
 nando selecti conciliationis arbitri, quos  
 inter præcipue Lotharingæ & Wirtem-  
 bergi Duces Palatino favebant: per plu-  
 res tamen menses Palatini Oratores sua  
 mandata exhibere cunctabantur, unde  
 suspicio, Palatinum moras nectere, non  
 vero seriam reconciliationem meditari.  
 Tandem vero Cæsaris jussu reddendæ  
 pacis conditiones propositæ fuerunt  
 sequentes. I. Palatinus supplex  
 veniam precetur. II. Regno Bohemiæ  
 pro se suisque cedat. III. Catholicam  
 Religionem in Palatinatum revocatam  
 servet. IV. Belli expensas Cæsari re-  
 fundat. Enimvero Palatini Oratores  
 Electoratum inter Friderici & Bavari  
 Domum alternis vicibus possideri, &  
 veniam per alium præscripta formula  
 a Cæsare peti efflagitabant, expensas  
 tamen refundi, rem haud possibilem  
 fore ajebant, Religionem autem Catho-  
 licam nullatenus esse tolerandam, vel  
 ad summum bina vel trina Monasteria,  
 ad Catholicorum usum indulgenda pro-  
 nuntiabant, summa tamen juris di-  
 cundi, deque Sacrorum Catholicorum  
 usu decernendi potestate Palatino re-  
 licta. Præterea querebantur hi Legati,  
 quod Palatinis subditis libertas con-  
 scientiæ adimeretur, necnon Vidua  
 Palatina, & Friderici fratres patria

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

Sæc. XVII. extorres esse compellerentur: cante  
Sæc. 1627. autem silentio presserunt hi Legati,  
 quod Lusitanæ Princeps unacum Con-  
 juge, liberisque suis ex Hollandia Bru-  
 xellas nuper exulare coactus fuerit, eo-  
 quod fidem Catholicam profiteri, a Bata-  
 vis prohiberetur. Cum ergo ex tumidis  
 hisce Legatorum responsis probe cognos-  
 ceretur, quod hi nil nisi Cæsarem in-  
 juste accusare, eique minus æquas pe-  
 cis conficiendæ leges dictare intendi-  
 rent, nullatenus autem Catholicam Re-  
 ligionem in Palatinatu admittere, aut  
 bona Ecclesiastica restituere vellent,  
 hinc continuo Imperator tractationem  
 abruptit, rescripsitque Wirtembergensi  
 Duci, quod ipse, si Palatinus hisce con-  
 ditionibus insistere vellet, licet in  
 aliis mediis tranquillitati publicæ pro-  
 specturus esset.

## §. LXX.

*Mulhusianus Electorum Conventus ad  
 Germanicæ pacem reducendam  
 habitus.*

*Adlr. An-* Magis æqua reddendæ pacis medi-  
*nal. Boie.* perabantur ab alio Imperii Ele-  
*part. 3. l. 12.* ctorum Conventu, qui die decima no-  
*Nam. Hist.* na Octobris Mulhusii, Turringiæ oppi-  
*Venet. l. 6.* do habebatur. Adfuit nomine Cæsar-  
*Barre Hist.* ris Petrus Stralendorffius Pro-Cancel-  
*d' Allem. t. 9.* larius

larius, & Hermanus Queftenbergius. Sæc. XVII.  
 Moguntinus quoque & Saxo Electores A.C. 1627.  
 ipsimet, ceteri vero Electores, Imperii  
 Principes, plurimæque urbes per suos  
 Legatos interfuere: ut autem Daniæ  
 Rex & Palatinus suos ablegarent Ora-  
 tores, nulla ratione impetrari poterat.  
 Primo confessu Cæsaris Legatus fufius  
 exposuit, qualiter ob Bohemorum re-  
 bellionem a Sectariis motam, atque ab  
 eorum fautoribus auctam Imperium ac-  
 cerrimis discordiis & factionibus misere  
 dilaceratum: Cæsaris auctoritas con-  
 tempta, ejusque hæreditariæ ditiones  
 fuerint incendiis & rapinis devastatæ,  
 totaque Germania imminentis rainæ  
 periculo exposita. In tantis vero malis  
 Cæsari id supersit solatii, quod nec  
 ipse, nec ejus Prædecessor Mathias  
 perniciosis hisce molitionibus quicquam  
 causæ dederit, sed omne malum ab  
 iis fuerit conflatum, qui sectas suas  
 violentiis, & seditionibus propagare  
 decreverant, quos tamen Cæsar pater-  
 nis monitionibus, pacis tractationibus,  
 quinimo etiam necessitate compulsus  
 minis & pœnis ab iniquissimæ causæ  
 patrocinio avertere conatus est. Nunc  
 ergo Cæsar a congregatis Principibus  
 petat, ut de reddenda tandem per Im-  
 perium pace, necnon Daniæ Rege a Pa-  
 latini defensione avocando, & de sup-  
 petiis

Sæc. XVII. petiis in bellum, si pax desperata esset.  
A. C. 1627. corrogandis, ac sumptuum damnorumque compensatione, in commune confulerent. Postea Moguntinus Elector de firmæ pacis mediis, necnon de opportuna ingravescentibus Imperii malis occurrendi ratione, pacemque violentium castigatione deliberandum esse proposuit. Petebant insuper Augustanus, Constantiensis & Wormatiensis Episcopi, aliique Abbates & Prælati, ut bona Ecclesiastica, quæ post Religionis pacem eis ab Onolspacensibus & Wirtembergicis fuere erepta, redderentur: præter hæc Protestantes de Calvinianis in Imperio tolerandis, de novis vidualibus, de Virodunensis Episcopi, necnon Argentinensis Capituli, aliorumque causis agi petebant.

Priorat.  
 Guald. Hist.  
 Ferd. II.

## §. LXXI.

*Gallici Oratoris propositio, ac Electoralis Conventus responsum.*

Aderat quoque Marchevillus Comes Gallicus Orator, qui Regis sui nomine hæc exposuit: „Non sine merore Rex meus mala, quæ toti Germaniæ ex præsentis belli motibus imminent, prævidit, ut igitur sinceræ suæ erga Imperii Principes sibi vicinos ac federe junctos voluntatis testimonium daret,

„daret, ad eos Engolismensem Ducem, Sæc. XVII.  
 „Bethunium Comitem, & Precum Le- A.C. 1627.  
 „gatos decrevit, qui longam, fortuna-  
 „tamque pacem stabilire, sedulo sata-  
 „gerent: Nunc vero me Mulhusium de-  
 „stinavit, & Electores ad communem  
 „tranquillitatem adhortarer, eis que ca-  
 „lamitates exponam, in quas Impe-  
 „rium præceps rueret, nisi provido,  
 „prudenterque consilio opportuna oppo-  
 „nerentur remedia: id igitur Rex a vo-  
 „bis efflagitat, omnemque suam ope-  
 „ram pro totius Christianæ Reipublicæ  
 „emolumento offert. „ Hæc pluraque  
 alia protulit Orator, cum autem arma-  
 tam Palatini defensionem haud obscure  
 insinuaret, necnon Electorali conventui  
 nuntiatum esset, quod Franciæ Rex  
 cum Batavis novenne foedus iniisset,  
 hinc actis pro benigna Regis voluntate  
 gratiis Electorale Collegium Oratori  
 hæc respondit. *Ex parte Principum  
 Electorum securam reddit Regiam suam  
 dignitatem Electorale Collegium, ipsis rem  
 nullam unquam pacis studio futuram potio-  
 rem, id adeo suæ Regiæ dignitati constare  
 posset ex eo, quod toto periculoso hujus belli  
 tempore, etiam summis injuriis laceßita  
 sacra Cæsarea Majestas, & hostilibus ar-  
 mis non offensi modo, sed etiam ad extre-  
 mam calamitatem deducti sacra Cæsareæ  
 Majestatis fideles status, omnia tamen pa-  
 cantes*



Sæc. XVII. *candæ Germanicæ media tentant, ejus re  
 A. C. 1627. caussa tum alias scopus inducitur, novis ho-*  
men semper adversariorum motibus impedit.  
*Principum Electorum & Deputatorum Con-*  
*ventum, tum etiam tandem hac prælo-*  
*Mulhusii suscepta deliberatio. Et quoniam*  
*quæ Dei benignitas est, si conculcanda Cæ-*  
*sareæ authoritatis studium, & res in Im-*  
*perio porro turbandi desiderium eos delectat,*  
*qui hæcenus tam pertinacibus armis hoc*  
*bellum foverunt, in animum inducunt, so-*  
*lutaribus se accommodare Consiliis Cæsar-*  
*Majestatis, ejus revereri authoritatem &*  
*pacis amplecti studium reipsa experientur,*  
*in hoc Mulhusiano conventu, ea vera pacis*  
*media in deliberationem venisse, & præ-*  
*Cæsareæ Majestati, ut par est, repræ-*  
*tanda esse, ut si pacis bono nostra Ger-*  
*mania Imperiumque sit diutius cariturum, si*  
*sola eorum noxa futurum sit, quibus in*  
*extrema desperatione & Imperii certis-*  
*studio omnis est Consiliorum summa. Et*  
*etsi minime futurum credant Electores Prin-*  
*cipes, metuendum tamen est, ne porro sit*  
*quibus curæ sit, tot jam divinorum justiti-*  
*rum testimonio damnata Palatina comp-*  
*patrocinia, & toties victis auxiliare ve-*  
*nus præbere. Facile statuet Christianissi-*  
*mus Rex, quanti in utramque partem*  
*res futura periculi, vel sacra Cæsareæ Ma-*  
*jestatis authoritati committentibus, vel etiam*  
*adjuvantibus illis, quibus justitiæ tutela*  
*candæ*

cumbit, derogari, vel in extremum discrimen Christianum orbem novis bellis devolvi. Sæc. XVII.  
A. C. 1627.  
 Hac de causa similiter Dominum Oratorem requirunt Principes Electores, ut ipsorum nomine Christianissimum Regem unice roget, ut, cum tam liberaliter suum nobis studium offerat pacis & tranquillitatis promovendæ, talisque pax nisi Imperiali auctoritate, & Electoralis Collegii dignitate salva, sperari minime possit, id Rex Christianissimus pro sua maxima auctoritate efficiat, ut ii, quos Bohemorum rebellio & Imperatoris contemptus ad arma traxit, iis supersedeant, Cæsareæ Majestati, Electorali Collegio, legibus Imperii & honestati congruum respectum deserant, & sacræ Cæsareæ Majestatis arbitrio & Decretis, haud dubie etiam Principum Electorum interventu, omni æquitate & Clementia temperandis se accommodent. Atque hæc sunt, quæ pro tempore visa sunt respondenda Domino Oratori, cujus & Officium gratissimum habent Principes Electores, eorumque Legati, & ipsum omni favore prosequuntur. Datum Mulhusii in Electorali Collegio sub Electorum præsentium, & Legatorum Sigillis secunda Novembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

Ex his tum apparuit, quæ mens Galliarum Regis de pacanda Germania, quive Electorum sensus de publicæ pacis violationibus fuerit.

§. LXXII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

§. LXXII.

*Electorum responsum ad quæstionem  
de restituendis Ecclesiasticorum  
bonis.*

*Carafa  
Germ. rest.  
pag. 310.*

His præmissis Ecclesiastici ereptos Episcopatus, monasteria, ceteraque bona Ecclesiastica sibi restitui impetius flagitabant, quocirca Ferdinandus Cæsar ipsos Imperii Electores consultare voluit, an ea bona, quæ ipsi omni jure peterent, (\*) nunc tandem, quibusve

(\*) Temerarium sane est, quod Ludolphus in suo Theatro scribere ausus sit, Carafam, qui tamen omnibus agitatæ præfens exactissimam rerum cognitionem habuerat, errandam afferit, tum non de causâ justitiæ sed duntaxat, executione, seu de modo executionis hanc restitutionem fuisse quæstionem: Ergone injuste suis bonis palam spoliatus primum de justitiâ suæ causæ agi petit? num Protestantium oppositio contra reservatum Ecclesiasticum paci Religiosæ Cæsaris auctoritate inferri Ecclesiasticos privare potuit jure in bona Ecclesiastica, quæ a Catholicis pro Catholicis pro Catholico Dei cultu in perpetuum fuerat donata? Ergone Imperator ex communi

mediis restituenda forent? Ad hanc Sæc. XVII.  
A.C. 1627.  
 quæstionem oppido difficilem Electores  
 hoc dederunt responsum: „Minime la-  
 „tet suam Majestatem, imo & Imperii  
 „acta sub anno 1555. testantur, quanta  
 „quamque intolerabilia fuerint Catholi-  
 „corum gravamina, quam justæ que-  
 „relæ, quamque frequentes ob nobilif-  
 „simas foundationes, monasteria, &  
 „bona ipsis paulopost Passaviensia con-  
 „cordata contra Religionis Sacrosanctæ  
 „scœdera, ac jus ipsum commune cum  
 „summo tam Divini honoris, quam  
 „Ecclesiæ Catholicæ præjudicio vio-  
 „lenter erepta, violata, everfa, actam  
 „pertinaci conatu detenta, & quod non  
 „desuerint, qui a Majestate Cæsarea,  
 „& Statibus Catholicis, propositis funesti  
 „belli minis præfatorum bonorum, fun-  
 „dationum, Cænobiorum (utpote circa  
 „quæ transactionem, aut amicam com-  
 „positionem admittere nolent) omni-  
 „modam cessionem, ac perpetuam ab-  
 „dica-

tuum Imperii voluntate horum bonorum pos-  
 sessionem duntaxat ea lege, si possessores sint  
 Catholici, indulgere non potuit? num forte  
 Ecclesia Catholica solis Catholicis sua bene-  
 ficia dispensandi jure careat, sola autem Pro-  
 testantium Ecclesia Catholicos excludendi jure  
 gaudebit?

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.*

Pp

Sæc. XVII. „dicationem extorquere niterentur, sub  
 A C. 1627. „futili illo, & vano prætextu, quasi bo-  
 „norum Ecclesiasticorum conservatio,  
 „& immunitas, substantiale punctum  
 „sancitæ pacis Religionis non esset;  
 „cum tamen eorundem bonorum Con-  
 „servationi, ceu basi nitatur Ecclesi-  
 „stici status salus, cui non minus quam  
 „Sæculari, Religionis sacris fœderibus  
 „prospectum voluere, tum Catholice  
 „Religionis, tum Augustanæ Confes-  
 „sionis affectu, ut nisi Ecclesiæ Ca-  
 „tholicæ bona hisce fœderibus tuta  
 „esse possent, ipsa etiam fœdera evan-  
 „descerent. Et quamvis Protestantes  
 „illi, qui post ictum Religionis fœderis  
 „nobilissimas fundationes rapuere, ex-  
 „pulisque Religiosis, patrimonii Ec-  
 „clesiæ Dominium sibi arrogarunt, sensum  
 „pacis Religionis pervertant,  
 „& eo usque detorqueant, ut ea salu-  
 „dicere sibi opinentur Religiosos terre-  
 „rum, & Principatum suorum inco-  
 „las a Catholica antiqua Religione, &  
 „statu, ad quem se voto obligarunt, ad  
 „Augustanam Confessionem urgere  
 „cogere: est nihilominus in comperto  
 „nec negari a quoquam potest hujus-  
 „modi Religiosos una cum suis cæno-  
 „biis, & redditibus ab omni status sæ-  
 „cularis jurisdictione penitus exem-  
 „ptos, ac sæcularem statum illis De-  
 „sentio

„fensionis prius nomine obligatum, & Sæc. XVII.  
 „obstrictum esse.„ His addiderunt E- A. C. 1627.  
 lectores, pacta religionis in hisce præ-  
 sertim casibus luce ipsa clariora exi-  
 stere, nullumque uspiam locorum Au-  
 gustanæ Confessionis asseclis jus, quo-  
 cunque tandem illud nomine censeatur,  
 attribuere in Cænobia, & fundationes  
 ubicunque locorum existant. Neque  
 Catholicos status restitutionem bono-  
 rum, & cænobiorum ante Passavien-  
 sia pacta ipsis ereptorum, quam sub  
 nullo Imperatore non postularant, tam  
 facile condonatueros fuisse, nisi deside-  
 rio, & certa spe reliqua conservandi  
 fuissent illecti. Distinxerunt etiam con-  
 troversias, neque enim illæ erant, an  
 incolis territorii contra territorii Do-  
 minum vi pacis religiosæ mandata de-  
 cerni possent? sed potius in jure com-  
 muni & Pace profana cardo quæstio-  
 nis verteretur, vi cujus nemini permis-  
 sum erat, alteri vim inferre, aut quem-  
 piam possessione sua exuere, cui juri  
 hætenus nulla Imperii comitia nullæve  
 constitutiones, aut leges derogaverant:  
 imo si Religiosis fœdera obscura fuis-  
 sent, juri tamen communi standum  
 fuisset, quoadusque ambiguitas ista le-  
 gitimo modo tolleretur. Ac tandem  
 existimarunt, quæsitæ, ac prætenas  
 in Religiosos, ac cænobia in Sæcula-  
 rium

Sæc. XVII. rium Dominorum ditionibus existentia,  
 A. C. 1627. jurisdictiones, quamvis extra Contro-  
 versiam forent, tamen eas non nisi ad  
 Religionem præcise, nullo modo ad  
 bona, & possessiones sese potuisse ex-  
 tendere, ac proinde Religiosis non mi-  
 nus quam Sæcularibus jus emigrandi,  
 ac suas possessiones distrahendi, præ-  
 tium secum auferendi, in usus suos er-  
 pendendi integrum, ac illæsum neces-  
 sario mansisse. Ex quibus omnibus  
 deduxerunt Electores, Majestatem  
 suam, uti Ecclesiæ Catholicæ, ac sub-  
 ditorum ejus supremum Advocatum &  
 Protectorem non solum ad Episcopum  
 Constantiensis preces restitutionem ca-  
 nobii Reichenbacensis rectissime ma-  
 dasse, verum etiam ad eandem res-  
 titutionem urgendam circa monasterium  
 ab Episcopo Augustano, necnon ab  
 Abbate Cæsariensi quæsitæ: immo de  
 quævis alia post concordata Passavia-  
 sia erepta, jus ac justissimas causas ha-  
 bere. Præsertim cum piæ memoriæ  
 Cæsar Rudolphus decreto quodam vi-  
 gesima septima Julii anno millesimo  
 quingentesimo nonagesimo nono Ele-  
 ctorum Palatini, Saxonis, & Bran-  
 denburgici Legatis Pragæ dato, ex-  
 presse senserit, Ecclesiasticorum bono-  
 rum conservationem substantiale pun-  
 ctum pacis religiosæ esse, eique in im-  
 perio

perio antecessores pollicitos esse, in e- Sæc. XVII.  
A.C. 1627.  
 ventum Compositionis sese ita disposi-  
 tionem facturos, ut jus suum cuique  
 integrum, ac spoliatis ad sua postlimi-  
 nio redeundi facultas maneret. Ma-  
 xime vero suæ Majestati liceret, Sen-  
 tentiam ferre, cum alius nemo posset  
 hujus causæ esse judex aut arbiter.  
 Hoc quidem prædecessores non fece-  
 rint, ne Imperium turbarent, neve sta-  
 tus inter se committerent: quare ad-  
 modum lente ac meticulose ad contro-  
 versæ decisionem progressi fuerint:  
 Eum tamen metum esse sublatum di-  
 xerunt, quando Imperium a Turca, a  
 quo sibi tum temporis male metuebat,  
 erat liberum, & major apud Status  
 Imperii erat Majestatis suæ auctoritas,  
 ac potentia, cum justitia & bonitate  
 causæ conjuncta, ut credibile non ef-  
 set futurum, reperiri quempiam, qui  
 ei, ejusque legitimis dispositionibus re-  
 fractarium sese exhiberet.

Percepto hoc Electorum responso  
 Cæsar misso Stralenhofio & Questem-  
 bergio Saxonæ Electorem, ut & ipse  
 horum Electorum judicio aquiesceret,  
 impense hortabatur. Diu postea, acri-  
 terque de pacis reddendæ mediis dis-  
 ceptabatur: Censebant non pauci pa-  
 cem Religiosam anno prioris sæculi  
 quinquagesimo quinto sancitam in Im-  
 perio



Sæc. XVII. A. C. 1627. perio esse promulgandam, probandamque: displicuit hoc consilium Protestantibus, quos inter Saxo & Brandenburgicus mitiora suadebant, hancque restituendæ pacis viam minime esse idoneam propugnabant, eoquod nec hac ratione omnium querelis satisficeret, aliunde vero multo acrior in Imperio diffidentia, novorumque tumultuum causæ forent timendæ: eapropter Palatini Oratores audacius non modo bonorum Ecclesiasticorum restitutioni sese opponebant, sed etiam Palatini reconciliationem tam duris implicabant conditionibus, ut post impositam ejusdem submissionem, & usurpati Bohemici Regni restitutionem nullum aliud Cæsari emolumentum restaret reliquum, nisi illatæ a Palatino injuriæ memoria, ærarium bellis adfandam ejus rebellionem motis exhaustum, devastatæ regiones, eversumque pene Imperium. Ergo vix non omnis firmæ pacis spes evanuit, nilque aliud communi consensu decretum, nisi quod Fridericus Palatinus commissa Feloniæ veniam suppliciter peteret, Regni Bohemici juri, Electoratu, cunctisque foederibus contra Cæsarem initis nuntium mitteret, Cæsar vero sperderet, quod adimpletis hisce conditionibus Fridericum in gratiam recipere-

ret, eum a belli expensis clementer Sæc. XVII. A.C. 1627.  
 exoneraret, publicas querelas ex Imperii legibus tolleret, nec unquam permetteret, ut ullus ex Imperii Statibus ab altero inique opprimeretur: Vicissim vero Electores omne auxilium sponderent, si forte Palatinus, ejusque fautores has condiciones non acceptarent, sed ulterius belli aleam experiri mallent: His ita sancitis Electores a Cæsare impetrarunt edictum, vi cujus Ecclesiæ, Monasteria & bona Ecclesiasticis restituerentur, necnon earum Ecclesiarum & Principum, qui Cæsari fideles, ac pro tuenda Ecclesiæ ac Imperii gloria solliciti varias vexationes & damna tolerarunt, præcipua aliqua haberetur ratio.

## §. LXXIII.

*Religio Catholica in variis ditionibus restaurata.*

Hujus edicti rationem habuere præ- Carafa l. c. Adlzreit. pag. 176.  
 primis Argentinenses, qui anno  
 sæculi prioris sexagesimo primo exci-  
 tata seditione Canonicos urbe expule-  
 rant, atque Ecclesia Cathedrali occupa-  
 tata, institutisque Prædicantibus Ca-  
 tholicam fidem, & Magistratum elimi-  
 naverant, nunc vero singulis civibus  
 liberum Religionis usum concedere, a

P p 4

Cæ-

**Sæc. XVII.** Cæsare iussi, ædes & claustra Canon-  
**A. C. 1627.** cis restituerunt, ne tamen fructus, ex  
 jam perceptos refundere tenerentur,  
 a piissimo Imperatore impetrarunt. Ne-  
 rimbergenses quoque Bilbenreute  
 Cænobium inique usurpatum Episcopo  
 Eichstettensi reddidere, circumjace-  
 tes copias veriti. Præterea Marcius  
 Badensis, necnon Joannes Nassovius  
 Comes in suas ditiones Religionem Ca-  
 tholicam reduxerunt: nonnullæ etiam  
 Civitates Imperiales pristinis Domini-  
 Ecclesiarum possessiones rursus vindica-  
 carunt. Paulopost Imperator Wirtem-  
 bergensi Duci sex Monasteriorum, que  
 eidem annue plusquam centam septua-  
 ginta Thalerorum millia præter re-  
 pensas in Magistratus erogandas re-  
 debant, restitutionem imperabat: Dux  
 vero Fratrem suum Viennam decre-  
 rat, ut extremam familiæ suæ ruinam  
 inde emerfuram deprecaretur: Cæsar  
 tamen suo edicto insistens, nonnulli re-  
 stitutionis terminum prolongavit. Is  
 super Elector Brandenburgicus, quan-  
 vis Catholicæ Religioni nomen hau-  
 dedisset, multos tamen a suis Pre-  
 cantibus, qui pro more suo populis  
 in Cæsarem, Catholicosque vehemen-  
 tius concitaverant, suis amovit officiis,  
 modestioribus aliquot subrogatis. Len-  
 tius vero procedebat Religionis resti-  
 tatio

ratio in Palatinatu superiore; inolita Sæc. XVII.  
 enim morum licentia, credendi liber- A.C. 1627.  
 tas, necnon concepta de Friderici re-  
 ditu spes quamplurimos in suo errore  
 obstinatos detinebat: sensim tamen  
 promulgato Cæsaris edicto pueri ac  
 puellæ sese veræ fidei præceptis imbuen-  
 dos ultro exhibuere, ac Sacerdotibus  
 Catholicis, quibus sive eos in plateis  
 sive in pagis offenderent, obviam eun-  
 tes, pio cantu domum illos reducebant.  
 Profuit adulterorum quoque conversioni  
 indefessa Maximiliani Bavari Electoris  
 pietas, necnon Ratisbonensis, Eich-  
 stettensis, & Bambergensis Episcopo-  
 rum Zelus; hi enim egregios submise-  
 rant Archidiaconos, Parochos, Con-  
 cionatores & Catechistas, quibus Ele-  
 ctor ex sacris redditibus, quos summi  
 Pontificis indulto ad causas pias ap-  
 plicandos acceperat, stipendia, atque  
 operariis dignam mercedem præstitit,  
 hausta inde tanto Apostolici laboris  
 proventu, ut pulsus ubique Prædican-  
 tibus intra unius anni spatium tota fer-  
 me Provincia veritati agnitæ manus  
 daret, Templisque a Calviniana sæce  
 expurgatis sacra ritu Catholico, ac in-  
 genti omnis populi concursu pie per-  
 agerentur, quinimo præprimis Amber-  
 gæ adolescentes non pauci etiam No-  
 biles paulo ante in carnis schola im-

Sæc. XVII. buti, nunc Evangelii veritate instructi,  
A. C. 1627. carnem variis macerationibus ultro affligebant, sacram Eucharistiam ad infirmos delatam per quævis viæ ac tempestatis incommoda religiose comitabantur, atque in pagos securrerant, ut rudes ex Calvinianis tenebris ad veræ fidei lucem adducerent. Præterea haud exiguum Religioni Catholicæ augmentum in Halberstadiensi Principatu accessit per Archiducem Leopoldum Guilielmum, qui post Christiani Brunsvicensis, intrusi Episcopi obitum propter omnem spem in hujus Ecclesiæ Episcopum renuntiatus est, hancque Dioccesin per nonaginta omnino annos a Lutheranis usurpatam Catholicorum Sacris restituit. Cæsar quoque Hæliæ Suecorum Magistratui præcepit, ut Petrochum Catholicum ab Elvacensi Preposito submitendum prompte reciperent, eidemque bona Ecclesiastica restituerent, necnon in Ecclesiam sancti Spiritus Ministros Catholicos reducerent. Denique die vigesima octava Februarii duo Germani Fratres Tobias & David de Rhem Patricii Augustani post triennem deliberationem agnito errore a Lutheri castris publice ad Ecclesiæ Romanæ gremium reversi sunt.

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

## §. LXXIV.

*Iteratimotus Facultatis Parisinæ contra Henrici Spondani Epitomen, & Michaelis Maucleri librum.*

Jam anno Christi millesimo sexcentesimo decimo tertio Servinus Regio Curixæ Procurator ex Annalium Baronii epitome ab Henrico Spondano Apamiensi Episcopo concinnata plures decerpserat propositiones, quas Regum auctoritati adversas Parisiensi Senatui denuntiabat: tum vero re ad ulteriorem deliberationem remissa, hoc anno rursus Facultatis Theologicæ Rector die decima quinta Martii retulit, sibi antea tres dies, incertum a quo, fasciculum fuisse transmissum, in quo præter propositiones jam a Servino notatas præcipue assertio hæc perstringenda diceretur. I. *Potestas in ipso Romano Pontifice ipsius visibili capite & summo Christi in terris Vicario residet, ut possit, si causa necessario postulet, Apostolica plenissima potestate, infestos Ecclesiæ Reges, sive Imperatores deponere, inque locum ipsorum justos & pios sufficiendos curare, id ex Dei verbo, jure divino, & lege naturæ necessaria consecutione probari, exploratissimum est, & continua praxi in Ecclesia observatum*

*Argentre coll. Jud. tom. 2. Vid. supra t. 1. 199. §. 6. t. 55. p. 181.*

Sæc. XVII. tum . . . . Petro Damiano dicenti, quod  
 A. C. 1627. munera Pontificum & Imperatorum ab  
 sint distincta, ut nec Imperatores attingant,  
 quæ sunt Sacerdotum, nec Sacerdotes, quæ  
 sunt Imperatorum, uti bella tractare & e-  
 lia id genus, Catholica dogmata penitus al-  
 versantur, quibus hæresis errore notantur  
 omnes, qui ab Ecclesia Romana & Cathedra  
 Petri e duobus alterum gladium auferunt,  
 nec nisi spirituales concedunt.

Eadem die agebatur quoque de alio libro, quem Michael Maucienus Sorbonæ Doctor de Monarchia diuina, Ecclesiastica, & sæculari Christiana, & que sancta inter Ecclesiam & sæculares legem conjugatione, edidit, necnon Gregorio XV. Papæ & Ludovico Franco Regi nuncupavit, quem etiam librum octo Facultatis Theologicæ Doctores approbarunt: Nihilominus ex eadem hac lucubratione sequentes prestringebantur propositiones. I. A Papa tribunali rem iudicatam alio traditur, ut iterum examinata iudice finiatur, hominis est impie de catholica fide sententis, atque ab hæreseos contagione inobediens non omnino immunis, sed de illa suscipi valde. II. Temporalibus penis præter spirituales criminum reos subiciendi potestatem divinitus largitam magnopere solutarem, utilissimamque iustis & iniquis

nemo negabit, qui sacram Ecclesie pra-  
xim diligenter observaverit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

III. Improbos coercere, pœnisque com-  
pescere eos, qui Religionis Catholice vi-  
gorem labefactare, animarumque salutem  
obruere moliuntur, per se sibi vendicat  
Ecclesia spiritualisque potestas. IV. In-  
sani sunt, qui nolunt videre, Christum  
per Vicarium suum visibile Ecclesie ca-  
put visibili jurisdictione Principes iniquos  
a suæ dignitatis, principatusque solio de-  
turbare posse, justos in eorum locum mi-  
sericorditer potenterque sufficere. V. Fran-  
ciæ Reges uncti chrismate vere regunt ac  
regnant, sicut Regibus Israel unctio sacri  
unguenti nomen ac potestatem regiam con-  
ferebat. In Israel non licebat regnum su-  
scipere, nisi unctio præcessisset.

VI. Impium est asserere, minorem esse  
potestatem Romani Pontificis, quam Mo-  
saii, cujus officium fuisse constat ultimam  
nulli obnoxiam provocationi propria au-  
thoritate sententiam pronuntiare, cui omnes  
cujuscunque sortis & conditionis sub pe-  
na mortis obedire & obsequi tenerentur,  
sicut illa Deuteronomii 17. manifeste de-  
clarant.

VII. A Sede Apostolica ad futurum  
Concilium appellare, schismaticorum est, &  
hæreticus est, qui Romani Pontificis iudicio  
resistit, . . . . lege Christi secularia sce-  
ptra, fascesque temporales spirituali Vi-  
sarii



*Sæc. XVII. carii sui directioni, aliorumque suæ Præ-  
A.C. 1627. latorum Ecclesiæ subjicit.*

VIII. *Sicut homo recte compositus non  
esset, nisi illius corpus animo subderetur,  
ita minus bene a Christo Domino Ecclesiæ  
nec satis convenienter instituta videretur,  
nisi in illa temporalis potestas, seculari-  
que Majestas spirituali reverenter obedire  
inclinata propenderet: hoc clamant sancti  
Canones, hoc sancti Patres docent, admo-  
ndo: oportere gladium esse sub gladio, &  
temporalem auctoritatem spirituali subjici  
potestati.*

Verum nec Spondani, nec Man-  
cleri propositiones a Facultate Parisien-  
si censuris notabantur, eo quod Rex  
affidua hæc in libros bella pertractans,  
prohibuisset, ne sacra Facultas Theo-  
logica quicquam hoc in negotio de-  
deret. Magis commendabilem se re-  
didit Filescus Universitatis Syndicus,  
dum die prima Julii proposuit, e re  
Facultatis esse, ut provideatur in po-  
sterum de Baldachino, & vase aliquo  
honestiori & convenientiori pro solem-  
nitate sanctissimi Corporis Domini.

§. LXXV.

*Turbæ Londini a quodam Prædica-  
te concitatæ.*

Quot.

Quot, quamque periculosas turbas Sæc. XVII.  
 omni prætenſæ reformationis ævo A.C. 1627.  
 ſuſcitaverint Prædicantes, dum ſeſe  
 publicis Regnorum negotiis ingeſſerant, Annal.  
 deplorant cuncta ferme Regna, præ- Brunsvic.  
 cipue Francia, Bohemia, Aultria, MS, Fon-  
 Saxonia, & Hungaria: Quam cruen- ſion. rer.  
 tos Tumultus, horrendasque ſeditio- Brit. l. 22.  
 nes Prædicantes adverſus Chriſtianum I.  
 Electorem tribunitiis ſuis concionibus  
 in Saxonia, contra Ludovicum XIII.  
 Regem in Francia, contra Cæſares in  
 Aultria, Slatius in Belgio contra Mau-  
 ritium, Hoe & Scultetus contra Fer-  
 dinandum in Bohemia, aliique alibi  
 concitarint, Historica teſtantur monu-  
 menta: recens eſt memoria cruenti tu-  
 multus, quem Præcones Brunsvicen-  
 ſes adverſus ejuſdem Urbis Tribunos  
 ſuſcitaverant, occasione inde nata, quod  
 hi quemdam civem, nomine Georgium  
 Schmid ob calumnias in Conſules ef-  
 fuſas Lipſiæ damnatum protexerint; re  
 enim comperta mox Prædicantes e  
 pulpitis in hoſce Tribunos impotentibus  
 furiis tumultuabantur, eos accuſantes,  
 quod Magiſtratus ſui auctoritatem læ-  
 ſiſſent: admoniti a Tribunis, & Mar-  
 purgenſi Senatu Prædicantes, vehe-  
 mentius furere cæperant, atque ex  
 condicto una omnes, præcipue vero  
 Kauffmanus, Petrius, Hildebrandus,  
 Oedin-

Sæc. XVII. Oedingus, Rennebockius, Wagnerus  
 A. C. 1627. & Magius die vigesima Julii in eorum  
 Ecclesiis palam in hosce Tribunos pro-  
 bris & convitiis invehebantur: Hi ergo  
 contra sceleratas, seditiosas, mendaces,  
 ac Dei Verbo, justitiæ, & charitati  
 contrarias hæc declamationes die duo-  
 decima Augusti Senatus patrociniis  
 implorabant, iterato petentes, ut hi  
 calumniatores in Neostadiensi Curia  
 adesse juberentur, qui etiam numero  
 septendecim die decima sexta Septem-  
 bris comparuere, communi consilio de-  
 cernentes, quod cunctos Tribunos ama-  
 themate percellere, nec illos ad Cæ-  
 nam Dominicam, aut Ecclesiæ ritus  
 admittere vellent, nisi prius agito-  
 ac deplorato delicto. Acriter eis He-  
 ningius Braband unus ex Tribunis ex-  
 probabat, quod *neglecto Officii sui mu-  
 nere sese politicis negotiis immiserint, pu-  
 blicamque quietem turbarint: mox igitur  
 excommunicationis lætæ causas proferrent.*  
 Verum Kauffmanus & Petrus Præco-  
 nes, inaudito *πολυπραγμοσύνη*, monstra-  
 ta digitis janua, Notarium, testesque  
 qui ad eos a Tribunis ablegati erant  
 ex ædibus suis exire jusserunt: Ne-  
 his contenti, die vigesima septima Se-  
 ptembris in Ecclesia ad S. Catharinam  
 Berwartum Jagenhorstium, & Ne-  
 stadii in Templo sancti Patri Schri-  
 derum

derum, necnon in Ecclesia ad Fratres Sæc. XVII.  
 Bertramum Tribunos a Patris Iustitici A. C. 1627.  
 officio excluderunt. Re denuo ad San-  
 ctius Consilium delata, Brabandus Præ-  
 conibus objectabat, quod contra Verbi  
 Divini præcepta, contra librum concordie,  
 ordinationem Ecclesie, ex propria volun-  
 tate, in propria causa, ex privato affectu,  
 non ad ædificationem, sed confusionem,  
 anathematis sententia abusi essent, ce-  
 terosque Præcones ad eandem seditio-  
 nem sollicitarint, proin illorum excom-  
 municationem esse nullam declararent.  
 Præconibus autem pertinacius suæ sen-  
 tentiæ insistentibus crebra acerbaque  
 inter hos & Tribunos altercatio orie-  
 batur, Kauffmano eisdem exprobrante,  
 quod ipsi hucusque totum Ministerium,  
 omnesque Verbi Divini Præcones sem-  
 per iniquis vexationibus oppressissent:  
 cui tamen mox Tribuni hæc regesse-  
 runt: *Mentiris, furcifer, vos semper &*  
*adhuc nos opprimitis.* Diu acriterque  
 convitiis ultro citroque pugnatum, do-  
 nec Tribuni a Senatu peterent, ut ana-  
 themate solverentur, ac seditiosæ pre-  
 ces, quas hi Præcones publice contra  
 ipsos recitabant, inhiherentur: postea  
 Mense Februario totam rei seriem ad  
 Rostochiense Consistorium detulerunt,  
 a quo tamen Prædicantes Brunsvicen-  
 ses acri lixivie depexi rediere: nec ta-  
Qq men

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.*

Sæc. XVII. men inde ad faniora reducebantur, a  
 A. C. 1627. quibusdam Senatoribus suffulti, qui  
 Tribunis petentibus, ut anathematis  
 solutionem Prædicantibus injungerent,  
 responderunt, in eorum potestate non  
 esse, in sacra Ministerii jura manus  
 injicere: Pravi hujus exempli potentia  
 ex plebe, civibusque non paucos, et  
 seditionem pertraxerat; verebantur  
 nim cives, ne Præcones excommuni-  
 cationem, ac Pontificiam potestatem  
 rursus invehere molirentur, eo dante-  
 xat sine, ut pro libitu suo populum ad  
 sua vota compellere possent: <sup>potestatem</sup>  
 bant igitur, ut pro veteri more omnes  
 convocarentur cives, lisque intra <sup>omnis</sup>  
 mænia decideretur: Displicuit ea res  
 Senatoribus, qui colloqui <sup>succesum</sup>  
 Præconibus funestum fore veriti, <sup>res</sup>  
 die vigesima tertia Aprilis hortaban-  
 tur, ut ad præcavendos tumultus po-  
 pulares amica transactione litem com-  
 ponerent. Hi vero perfriçte responde-  
 runt, quod vel Tribuni illud <sup>Peru-</sup>  
 palam canerent, vel causa per <sup>Judi-</sup>  
 cum sententiam decideretur: Eap-  
 pter die vigesima sexta Aprilis cives  
 Tribuni unanimi suffragio, Senatoribus  
 declararunt, de pace desperatum esse,  
 nisi turbulenti hi Præcones, ac præ-  
 primis Kauffmanus, & Wagnerus un-  
 cum eorum uxoribus, liberisque <sup>ejice-</sup>

ejicerentur. Mitiora adhuc suggerebat Sæc. XVII.  
 Senatus, rogans, ut Prædicantes tan- A. C. 1627.  
 dem quicquam de sua severitate remit-  
 tere vellent: Verum hi declararunt, de  
 Dei verbo, & propria conscientia agi,  
 proin se non posse Tribunos diris & exe-  
 crationibus solvere, nisi hi palam crimi-  
 nis sui veniam deprecari essent: rur-  
 sus hosce fanaticos rogabant Senatores,  
 ut ad præcavendam sanguinis effusio-  
 nem rigorem temperare haud grava-  
 rentur: hi autem non modo priori suo  
 insistebant responso, sed etiam Simo-  
 nem Ludekium Senatorem morti vicini-  
 um, eoquod ipsum Tribunis favisse  
 suspicarentur, nec accedebant, nec e-  
 nixius petenti Cænam, aut absolutio-  
 nem impertiebantur (\*). Insuper Tri-  
 buni utpote Prædicantibus moderatio-  
 res tanquam rei componendæ medium  
 obtulerunt mutuam rei gestæ oblivio-  
 nem: Præcones vero rursus exclama-  
 bant, *actum est de pace, nisi Tribuni prius  
 a nobis veniam precentur (\*\*)* Cum ergo  
 Prædicantes errorem suum agnoscere  
 Qq 2 renue-

(\*) Ad hæc verba in autographo hujus  
 relationis aliena manus hæc addidit: *Seliget  
 stirbt man, als von solchen absolvirt zu werden.*

(\*\*) Rursus hic additum: *seynd mir dieß  
 nicht unbarmherzige Währen.*

Sæc. XVII. renuerent, & Tribuni veniam petere  
 A. C. 1627. recusarent, sancitum est, ut quilibet  
 pars suæ causæ merita scriptotenus  
 consignaret, & remota appellatione ex-  
 terorum iudicio staret: Placuit hoc  
 consilium Tribunis, Præcones vero non  
 a profano, sed Ecclesiastico Judicem  
 esse dirimendam regefferunt, ac con-  
 tinuo tam in suis declamationibus, quam  
 omni alia data occasione volubiles ci-  
 vium animos a suis Tribunis avertete,  
 atque sibi & Senatui conciliare moliri  
 sunt: idque facile ab inconstanti plebe  
 sub obtentu Religionis depresso ob-  
 tinuerunt: inde vero accidit, quod die  
 tertia Septembris anno hujus sæculi  
 quarto civium potissimi, quos Præcones  
 sibi propensos jamjam reddebant,  
 armis instructi in foro comparerent,  
 suamque opem adversus Viros eisdem  
 forte suspectos Senatoribus offerrent:  
 Hac obsequii pronitate freti Senatores,  
 cum quosdam Tribunos unacum civi-  
 bus sibi addictis in quodam diversorio  
 convenisse intelligerent, mox emissis  
 Satellibus eos in carceres abripi julle-  
 runt. Hi ergo eodem die nulla mor-  
 fores, cum occlusæ essent, adhibita vi  
 effringunt, quinque Tribunos in vine-  
 culis abducunt, & Hermanum Bibe-  
 meum glande trajiciunt, ceteris fuga  
 dilapsis. Altera die rursus ad arma  
 concla-

conclamatum, omnesque Tribuni ad Sæc. XVII.  
 carceres rapiuntur, excepto Henningo A. C. 1627.  
 rerum ignaro, & Petro Kichlero, qui  
 morbo correptus, domi tamen fateliti-  
 bus custodiebatur, constituto centum  
 Thalerorum præmio in eum, qui Bra-  
 bandum fuga elapsum reduceret: Hunc  
 ex infausto per mænia saltu graviter  
 crure saucium quidam textoris famulus  
 clam ad Broitzemberensem agrum de-  
 portabat, hujus tamen Viri proditorem  
 agere veritus, Petrium Prædicantem,  
 Confessarium suum interrogabat, an  
 salva conscientia innoxium hunc pro-  
 dere posset: Præcone autem, illum  
 omnino ad id teneri, respondente, Bra-  
 bandus, cum incedere haud valeret,  
 mox Senatus jussu equo imponitur, to-  
 tiusque urbis ludibrio expositus, pa-  
 lam ad carceres raptatur, ac integras  
 octo horas in equleo, necnon aliquam-  
 diu ex ea parte, quam nominare vere-  
 cundia prohibet, suspensus miserrime  
 torquetur, eodemque supplicio ceteri  
 inhumana prorsus crudelitate tamdiu  
 cruciantur, donec falso imputata cri-  
 mina, quamvis suam innocentiam per  
 omnia sacra profanaque contestati es-  
 sent, mortis metu affirmassent, ex qui-  
 bus Hermanus Walter, cum vel uni-  
 cum impactæ seditionis testem sibi sili  
 incassum peteret, inter tormenta ex-  
 Qq 3 spira-



Sæc. XVII. spiravit. Comperto Senatus Præconumque furore Henricus Julius Dux, A. C. 1627 ~~missus~~ missis Ruperto Haltern Notario, adversus hanc sævitiam iterato reclamabat, sique horum quospiam de proditione suspectos crederent, illorum innocentiam se comprobaturum pollicebatur. Verum apud hosce Prædicantes, Senatunque eis addictum tantopere prævaluit vindictæ libido, ut septem diebus Ducis sui monitis die decima septima Septembris erecto ferali pegmate Einckeum civem capite plecti juberent. Peracto hoc supplicio Henningius ~~brach~~ bandus a carnifice scamno impositus, defectis duobus digitis, ac candenti forcipe quatuor viribus vellicatus, in quatuor partes dissectus est, extraxitque corde, ac intestinis in foro publico combustis, necnon amputato capite corpus in carcere integro biduo cetorum captivorum spectaculo exponebatur, demum vero abscissæ partes die decima nona ejusdem Mensis in quatuor urbis partibus ex hasta suspendebantur: Hunc Virum Prædicantes proditionis cum Duce Julio adornate, seditionis contra Senatum concitate, necnon pacti cum Dæmone initi accusabant, omnes tamen e partium studio alieni, imo ipsemet etiam Dux illum omnino innoxium fuisse proclamavit, horum

horum sanguinem sese acriter vindica- Sæc. XVII.  
 turum professus: Verum his minis ne- A. C. 1627.

quaquam territi Senatores, Hermani  
 Böhmei nuper glande percussi corpus  
 per carnificem, exhumari, rotæque  
 imponi, & quatuor Tribunos, eoquod  
 Prædicantibus & Senatui obstitissent,  
 die vigesima quinta Septembris, ac  
 rursus alios quatuor die decima Octo-  
 bris capite obtruncari jusserunt, præ-  
 terea quatuor carcerum squallore  
 absumpti contabuerunt, ac plus-  
 quam quinquaginta vel tormentorum  
 acerbitate, vel pecuniarum multæ ex-  
 hausti miseram vitam trahere, ac jure-  
 jurando sese obstringere coacti sunt,  
 quod hominum nulli de omnibus sibi  
 illatis injuriis quicquam referre vellent.

Postquam igitur Tribuni, civesque eis Vid. supra  
 additi fuerant oppressi, ac ceteri ho- l. 186. §. 70.  
 rum suppliciiis conterriti erant, Præ-  
 dicantes gaudio perfusi in omnibus Ec-  
 clesiis publicas Deo grates exsolverunt,  
 eoquod seditiosis omnino exterminatis  
 quietam auctoritatis suæ possessionem  
 recuperarint, quamvis Deus subsequen-  
 te urbis ruina innoxium horum cruo-  
 rem vindicasse videatur: unde hujus  
 relationis Author hæc addidit verba:

*Ab odio Theologico libera nos Domine.*

Atroce quoque inter Londinenses Vid. supra  
 cives procellam, citra cædem tamen, l. 196. §. 55.  
 Qq 4 conci-pag. 536.

Sæc. XVII. concitabat Manwaringus Præco, qui, A. C. 1627. ut supra memoravimus, ex suggesta ad populum declamans, multis contenderat, *Regem in omnium Civium bono Jus habere; ac omnia Regis esse, non solum quoad Jurisdictionem, sed etiam quoad proprietatem: Rempubicam stare non posse, nisi privatorum facultates publicis necessitatibus subvenirent.* Concio illa, plena temeritatis pluribus visa, aliis haud iniqua, assiduis hominum sermonibus in conviviis & circulari pulsabatur. Hi, qui contra eam detonabant, id uelere, stante tali principio: *nostras non amplius fore domus; nostras non amplius fore villas, non nemora: neque tam præcipuam audaciam & Licentiam Concionum impune ferendam.* Quare Manwaringus, ut tumultui obviam iret, Concionem typis imprimi curavit, & judicio Episcoporum subjecit. Cantuariensis Pseudo-Episcopus Concionem tanquam temerariam damnavit. Dunelmensis vero & Bathorensis Episcopi illam haud improbarunt. Cæteri vero Antistites, sententiam Cantuariensis secuti, securiorem plebem & Optimates fecerunt in proprietate rerum suarum, adeo ut quis dicere posset: *Hæc domus mea, hic fundus est meus.* Verum non ita repente sopitus est tumultus ex hoc sermone concitatus; præcipue enim Nobi-

Nobiles, atque inter eos Franciscus Sæc. XVII. A. C. 1627.  
 Seymurus, Thomas Wentworthus post-  
 ea Straffordix Comes, Eduardus Coo-  
 kius alique plures lingua & calamo  
 suam bilem evomuerunt, palam Regi  
 in comitiis exprobrantes, „quod si om-  
 „nia eorum bona *Jure Divino*, uti hic  
 „Præco contenderat, ad Regem perti-  
 „nerent, ac subditi nihil proprium ha-  
 „berent, Rexque quicquid ei libuerit,  
 „suis subditis licite auferre posset, sub-  
 „sidia petere Regi superfluum, ea au-  
 „tem dare, impossibile subditis foret: „  
 Exin vero ortum est, quod gliscentibus  
 inter Regem, Proceres, Curias ac po-  
 pulum odiis, Regnum funestis jactare-  
 tur tumultibus, & ipsemet Rex post-  
 modum diadema, honorem & vitam  
 in ferali pegmate amitteret.

## §. LXXVI.

*Contentio inter Virodunensem Epi-  
 scopum, & Urbis Præsidentem  
 exorta.*

Eodem hoc anno diffidium quoddam Lotich. rer. Germ. l. 22. cap. 3. Gramond. Hist. Gall. lib. 16. Briet. An- nal. ad ann. 1627.  
 Viroduni inter Franciscum Lotha-  
 ringix Ducem hujus Urbis Episcopum,  
 & Giletum Regis Christianissimi Præ-  
 fidem exortum est. Illius occasio erat  
 arx, cujus constructionem Rex suaden-  
 te Richelio Cardinale in præfata urbe  
 per-

Qq 5

per-

Sæc. XVII. perfici jusserat: Episcopus vero, cum  
 A. C. 1627

supremum sibi in suam Metropolim do-  
 minium competere, eoque nomine, se  
 Imperii Principem esse assereret, pro-  
 pugnaculum ibi construi inhibuit, in-  
 stigante, ut fertur, Carolo Lotharingio  
 Duce, qui utpote Gallis infestus sibi  
 hac arce frænum a Galliarum Rege in-  
 jici, probe prospexerat. Nec tamen  
 propterea Præses opus intermisit, ut  
 de Episcopus jus suum prosequi statuit,  
 in publicis oppidi vicis affixo diplo-  
 mate, quod tamen Giletus Præses  
 velli, & dilacerari ac carnificis manu  
 comburi jussit: hoc contemptu irrita-  
 tus Præsul, Præsidentem, arcisque Fabri-

*Calmet Hist. Eccl. t. 3. l. 34. p. 202.* catores anathemate perculit: Giletus  
 vero ad Parisiense Parlamentum pro-  
 vocavit: interim vulgatus est Parisius  
 liber, quo Regis in eam urbem jura  
 vindicabantur, potissimum eo ex capite,  
 quod prima quidem in hanc urbem do-  
 minia Episcopis ab Imperatoribus fue-  
 rint concessa, anno autem Christi mil-  
 lesimo trecentesimo decimo septimo  
 Henricus Aspermontius Episcopus in  
 suamque urbem Francorum Regum  
 protectioni consentiente Pontifice, in-  
 fra licet reclamante Capitulo, commis-  
 serit, hocque obsequium postea Epi-  
 scopi, a Bohemis & Lotharingis bello  
 pressi annuente Capitulo renovatum  
 a Fran-

a Franciæ Regibus potenter protecti. Sæc. XVII.  
A.C. 1627.  
 Demum vero sub annum Domini mil-  
 lesimum quadringentesimum trigesi-  
 mum octavum sancita lege, Episcopus,  
 Capitulum & incolæ Galliarum Regis  
 dominio sese subjecerint, Harincurtius  
 autem Episcopus, cum belli in Regem  
 moti Author crederetur, a Rege ca-  
 ptus, in pœnam violatæ fidei urbem  
 amiserit, Episcopatum vero Lotharin-  
 giæ Domui asseruerit, hanc tamen ur-  
 bem rursus Henricus Lotharingiæ Dux  
 recuperarit, eamque nonnisi anno mil-  
 lesimo sexcentesimo primo, Henrico IV.  
 restituerit, necnon adjecta pensione tri-  
 butariam reddiderit: Inde ergo cives  
 pro Regis subditis haberi cæperint.  
 Parlamentum igitur his rationibus in-  
 nixum pronuntiata adversus Antistitem  
 sententia eum profanis Episcopatus sui  
 proventibus privavit, imposita etiam  
 decem millium librarum multa: quo  
 comperto Episcopus relicta suis Vicariis  
 sacram jurisdictionem tuendi cura, Co-  
 loniam recessit, & quasdam Ecclesias  
 pro arcis hujus fabrica solo æquatas  
 fuisse questus, ad Cæsarem utpote S. R.  
 Imperii Princeps provocavit, præva-  
 luitque: nullum tamen exequendæ sen-  
 tentiæ medium ob majoris mali metum  
 in promptu erat: eapropter arcis stru-  
 ctura, quæ jam ante centum annos in-  
 choata

Sæc. XVII. choata fuerat, impune perficiebatur.  
 A. C. 1627. Vehementer adversus injuriam Episcopo  
 ejus Cognato illatam reclamabat Car-  
 olus Lotharingæ Dux, qui etiam li-  
 tem sibi ob Barense feudum suscitatum,  
 necnon Episcopi causam compositurus  
 Parisios ad Regem contendit, a quo  
 tamen nullum aliud tulit responsum,  
 nisi quod dissidium, si quod inter Regem  
 & ipsum intercederet, missis utrinque  
 delegatis via juris decidendum esset.

## §. LXXVII.

*Monasteria Ordinis S. Benedicti in  
 Austria ad unam Congregatio-  
 nem revocata.*

*Heliot. Ord.* Inter varias inclyti Ordinis S. Bene-  
*Mon. t. 5.* dicti Congregationes præcipue in  
*Carafa* Galliis atque in Italia erectas, in Ger-  
*comms. Germ.* mania antiquitate & Regulari observan-  
*rest. p. 326.* tia percelebris erat Congregatio Fulden-  
 sis, quæ nomen mutuabat a Fulda Im-  
 periali Abbacia, cujus prima funde-  
 menta jecerat ipsemet sanctus Bonifa-  
 cius Germaniæ Apostolus, ac Mogun-  
 tinus Archipræsul: Huic adjuncta erant  
 dudum Abbacia Hirsfeldensis, quæ te-  
 men, expulso Abbate Fuldensi, a secta-  
 riis sæde devastata est, postquam Phi-  
 lippus Hassiæ Landgravius Principi-  
 tum suum Lutherana secta contaminare  
 verat

verat, & Mauritius hanc Abbatiam Sæc. XVII.  
 prolium suarum sustentationi designa- A. C. 1627.  
 verat: ubi vero Ferdinandus Cæsar  
 crebris victorijs clarus erepta Monachis  
 Monasteria restitui præceperat, atque  
 Swicardus Moguntinus Archiepiscopus,  
 qui tum Hirsfeldensem Abbatiam pos-  
 sedit, vita functus erat, Ordo sancti  
 Benedicti illam sibi rursus vendicare ni-  
 tebatur, quæ tamen sollicitante Carolo  
 Carafa Sedis Apostolicæ Nuntio, Leo-  
 poldo Guilielmo Cæsaris Filio concessa  
 est: Eiusdem quoque Nuntii opera fa-  
 ctum, ut hoc anno celeberrima præfati  
 sancti Ordinis Monasteria, quæ hucus-  
 que in Austria nullo nexu inter se di-  
 visa erant, in unam Congregationem  
 Cassinensis disciplinæ æmulam redige-  
 retur, accedente summa pietate, opti-  
 maque Abbatum voluntate, necnon  
 postea consensu Pontificio, quamvis lo-  
 corum Ordinarii hanc novam Congre-  
 gationem multum oppugnassent.

## §. LXXVIII.

*Belli Mantuani initia.*

Adhucdum potiora Europæ Regna bel- Hist. d'Ital.  
 li flammis exardescabant, cum e- Girol. Brus-  
 tiam in Italia levis dissidii scintilla tan- son. l. 1.  
 dem in tam funestum prorumperet in- Nani l. 7.  
 cendium, ut integræ Provinciæ non pag. 193.  
 sine Buffier Hist.  
Franc. p. 606.



**Sac. XVII.** sine rei Catholicæ dispendio in cineres  
 A. C. 1627. redigerentur: Originem turbis dederat  
 Vincentii II. Mantuæ & Monferrati Ducis obitus: Reliquerat hic non nisi unicam Francisci Fratris sui Filiam, quam ut securior esset successio, Carolo Rotomagensi ac Nivernensi Duci, ex Agnatis suis proximo desponsari, eidemque Mantuanum populum fidei Sacramentum obstringi voluit. Annuit etiam summus Pontifex, legisque gratiam indulsit. Indignabantur autem Hispani, quibus Principem in Galliis enutritum in Italiæ centro stabiliri displicuit: Cæsar quoque se neglecto liberatum Imperii feudum transferri ægerrime ferens, per Joannem Nassovium Comitem, Legatum suum postulabat, ut tam Mantuanus, quam Monferratensis Ducatus sibi tanquam supremo Domino sequestri nomine relinquerentur, donec de successorum jure ex lege constaret. In hoc turbido pariter piscabatur Carolus Emanuel Sabaudia Ducis, qui junctis cum Hispano consiliis antiquum jus suum in Montferratensem Ducatum resuscitare nitentibus, Hispani pollicitus, cessurum se propugnaculo Casalensi unacum magno ejusdem Provinciae tractu. Hispani autem æquius ac Austriaci potentius favebant Ferrantio Gaustallæ Principi, Galli eccor-

tra Carolo Nivernensium Duci, qui e-  
 tiam sequenti post Vincentii Ducis obi-  
 tum die Mantuam ingressus, cives mi-  
 litesque sibi sacramento obstrinxit, in-  
 cassum reclamante, ac Hispanorum ar-  
 ma comminante Ferrantio, in cuius fa-  
 vorem Consalvus Corduba Mediolani  
 Præfectus, clandestina cum quibusdam  
 civibus conspiratione facta Casalensem  
 Urbem ingressus, subditos a Nivernensi  
 Duce avertere studuit: spe vero sua  
 delusus per Trajanum Viscardum Can-  
 cellarium, qui Casalenses & Montfer-  
 ratenses in Nivernii fide servaverat,  
 Philippum IV. Regem ad bellum Hi-  
 spanicæ Monarchiæ perniciosum, Italiæ  
 funestum, ac toti Reipublicæ Christia-  
 næ noxium incitavit, frustra Venetis &  
 Nivernio pacem inter Franciæ & An-  
 gliæ Reges sollicitantibus.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1627.

§. LXXIX.

*Continuatum Polonos inter & Sue-  
 cos bellum.*

Dum in Italia bellum parabatur, acio-  
 res, ac rei Catholicæ oppido fune-  
 stæ belli flammæ in Borussia accensæ  
 latius incendium Germaniam usque  
 propagarunt; Gustavus enim Adolphus  
 Sueciæ Rex accepto nuperæ cladis  
 nuntio commotior factus, Mense Majo  
 cum

*Jager Hist.  
 Eccl. l. 7.  
 cap. 18.  
 Pufend. Hist.  
 de Sued.  
 t. 2. p. 190.  
 Lotich. rer.  
 Germ. l. 20.  
 cap. 4.*

Sæc. XVII. cum validiore exercitu Borussiam de-  
A. C. 1627. nuo invasit, ipso Duce ob religionis fir-  
 militudinem armorum successum clam  
 facilitante: primo igitur impetu in Dan-  
 tiscanos facto, ac nonnullis eorum na-  
 vibus interceptis, Sueciæ Archichalif-  
 sus classem suam urbi proximius admo-  
 vit, mox tamen inde non sine clade re-  
 pulsus: die autem vigesima Julii Sueci  
 rursus in Dantiscanos classarios inveni-  
 captis Polonorum non paucis ceteris  
 repulerunt: æque fausta, magis tamen  
 cruenta erat Acheni Todi Sueci  
 victoria, quam de Polticio Polono Bel-  
 liduce post iteratam suorum cladem re-  
 portaverat. Minus vero prospera ter-  
 restris expeditionis fortuna Gustavo  
 Regi adspirare videbatur; cum enim  
 classis suæ successum promoturus, Dan-  
 tiscum obsidere pararet, re ad prælii  
 necessitatem deventa retrocedere con-  
 ctus est, prope Kesemarekam arcem in-  
 ventre fauciat: sanato autem vul-  
 nere eandem arcem occupavit, Me-  
 via vicissim a Polonis capta. Tum  
 vero de pace actum, irritum tamen suc-  
 cessu; quocirca redintegrata hostilitas  
 Sueciæ Rex Polonorum castra in va-  
 majore vincendi aviditate, quam præ-  
 gnæ fortuna; edita enim magna utrius-  
 que strage Poloni solutis Suecorum co-  
 dinibus aciem eo inclinabant, ut ipsum  
 Regem

Regem per cubitum glande vulnera-  
rent, quo fato attoniti Sueci mox ex  
prælio ad castra reversi palmam, quam  
in manibus tenebant, amisere? Ineun-  
te autem Autumno rursus Batavorum  
opera de pace actum, Gustavo cuncta  
præter Rigam hucusque erepta Polo-  
nis restituere parato: nec exigua litem  
de Sueciæ succellione componendi spes  
affulsisset, nisi Sigismundus amplis Hi-  
spani Regis pollicitationibus, necnon  
suppetiis a Cæsare per Adolphum Hol-  
fatiae Ducem submissis incitatus, jus  
suum armis prosequi statuisset. Verum  
Gustavus occasionis opportunitate uten-  
dum ratus, Polonis hyberna agentibus,  
Wormoditum Warmiensis Episcopatus  
urbem invasit, & Turianus Comes  
plusquam mille Polonos subdole in ar-  
cem quamdam pellectos trucidavit, Po-  
lonis interea promissam Hispanorum  
classem frustra præstolantibus, eo quod  
urbes Anseaticæ Hispanam navigatio-  
nem in mari Balthico sibi perniciosam  
fore veritæ, nullas naves, nequidem  
empto dare vellent: Sigismundus igitur  
alieni subsidii spe frustratus, propriis  
sumptibus naves aliquot instruxit, ac  
exeunte hoc anno in Suecicam classem  
ante Dantiscanum portum invehens,  
binas naves cepit, unam cæso Præ-  
fecto, demersit, ac reliquas laceras,  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Rr fra-*

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.



cos, profusus in divini cultus augmen- Sæc. XVII.  
 tum, nunquam nisi erga seipsum par- A. C. 1627.  
 cus, semper atque ad ultimam senectu-  
 tem usque Ecclesiasticis functionibus  
 suis intentus; Vir Zelo plenus, virtu-  
 tum amator & literatorum fautor.  
 Obiit Romæ sacri Collegii Decanus an-  
 no ætatis suæ septuagesimo octavo, se-  
 pultus in Ecclesia sancti Urbani. Scri-  
 psit relationes de vita & Canonifatio-  
 ne Sanctorum quinque, quos Grego-  
 rius XV. necnon relationem de vita  
 B. Elisabethæ, quam Urbanus VIII.  
 Sanctis adscripsit.

## §. LXXXI.

*Dominici Rivarolæ Cardinalis mors.*

**H**ujus Cardinalis obitum prævenerat Ughel. Ital.  
 Dominicus Rivarola Genuensis Pa- Sæcra.  
 tricius, die quarta Januarii Romæ de- Ciacon. in  
 functus. Hic Genuæ Canonicus, ut vita. Poul. V.  
 Horatii Spinolæ Archiepiscopi iram de-  
 clinaret, Romam venit, ubi in Scipio-  
 nis Burghesii Cardinalis famulatum  
 admissus, rursus eidem exosus erat:  
 ut vero pariter summo Pontifici invisus  
 redderetur, ab æmulis suis ad nego-  
 tium quoddam, quo sibi Pauli V. in-  
 dignationem incurfurus certo credeba-  
 tur, destinatus est: verum ex ipsa inten-  
 tata adversantis fortunæ malevolentia

Rr 2

firmæ

Sæc. XVII. firmæ felicitatis argumentum emerit;  
A. C. 1627. quippe Dominicus tam flexanima oris  
 facundia, tantaque dexteritate hoc ne-  
 gotium præter omnem expectationem  
 perfecerat, ut Pontifex hunc Virum  
 immensis pene encomiis commendaret,  
 atque ad quascunque legationes præ  
 ceteris aptum censeret: inde mox Do-  
 minicus Burghesio etiam percharus e-  
 vasit, ac primo Aleriensis, postea Ni-  
 zarenus Episcopus, ac demum Legatus  
 ad Henricum IV. Franciæ Regem  
 nominatus est. Unius adhuc diei itin-  
 nere Lutetiis distabat, cum Henricus  
 Rex occideretur, & Ubaldinus Pape  
 Nuntius graviter decumberet: Tum  
 vero omnis propemodum opis, conti-  
 llique inops, in turbulento hoc Regni  
 statu hæerere credebatur Dominicus,  
 qui tamen demandatum sibi negotium  
 adeo prospere composuit, ut Pontifex  
 ejus operam solertiamque miris laudi-  
 bus Romæ extolleret: Pari felicitate  
 atrox dissidium ac tumultum inter Re-  
 tentes & Cantalicios exortum sedavit.  
 Eapropter in laboris præmium a Pau-  
 lo V. Cardinalis Presbyter titulo S. Mar-  
 tini in Montibus, & Flaminiae Guber-  
 nator decernebatur, quam etiam Pro-  
 vinciam, elusis omnibus æmulo-  
 rum machinationibus, per totum Pauli V.  
 Pontificatum laudabilissime rexit: tur-  
 dem

dem vero febris consumptus anno æta- Sæc. XVII.  
tis suæ quinquagesimo secundo e vita A. C. 1627.  
migravit.

## §. LXXXII.

*Bonifacius Bevilaqua Cardinalis  
mortuus.*

Hunc eadem fati necessitate sequeba- *Ciacon. in*  
tur Bonifacius Bevilaqua ex illustri *vita Cle-*  
profapia Ferrariæ natus, qui Patavii *mens VIII.*  
legalis scientiæ laurea decoratus, pri-  
mo in patria sua Archidiaconus, postea  
Romæ intimus Gregorii XIII. Cubicu-  
larius ac demum a Clemente VIII. utrius-  
que Signaturæ Referendarius, &  
Camerini urbis Gubernator renuntia-  
tus est, quæ omnia munia insigni pru-  
dentia, integritatis, ac justitiæ laude  
obibat. Tot igitur meritorum suffra-  
gio velut totidem gradibus ad amplif-  
simos ascendit honores, dum ex Pa-  
triarcha Constantinopolitano a Cle-  
mente VIII. Cardinalis, Consultæ Præ-  
fectus, Umbriæ ac Perussæ Legatus,  
Cerviensis Episcopus, pluriumque Con-  
gregationum Præfectus eligebatur:  
Nec tamen nævo caruit, ut enim ge-  
nerosi stematis sui nobilitatem externa  
pompa affereret, ultra vires consum-  
que magnanimus esse voluit, cetera  
Vir erat probus, jucundus, ac deni-  
que

Rr 3



Sæc. XVII que totus Aulicus: Obiit Romæ die  
A. C. 1627 septima Aprilis, annos natus quinquaginta septem, sepultus in Ecclesia sancti  
 Andreæ de Valle.

## §. LXXXIII.

*Joannis Baptiste Lenii Cardinalis  
 decessus.*

*Hist. Ferrar.* Postremus denique erat Joannes Ba-  
*riens. Cæs.* ptista Lenius patria Romanus, qui  
*Card. Re* Scipionis Burghesii, cui affinitate ju-  
*spon. de Ba-* ctus erat, patrocinio suffultus, a Pau-  
*st. Lateran.* lo V. ex Melitensi Episcopo Cardinalis,  
 ac postea Ferrariensis Antistes renun-  
 tiabatur: Commendatur præcipue ad  
 Ecclesiam sancti Caroli, & Lateranen-  
 sem Basilicam elegantius exornatas;  
 omnes enim, uberrimos licet, proven-  
 tus, quos ex ditissimis Sacerdotiis sibi  
 a Paulo V. collatis hauserat, unice ad  
 augendum Dei cultum, & exsolven-  
 dum Patris sui æs alienum impende-  
 rat. Decessit tandem Romæ die tertia  
 Novembris anno ætatis supra quinquag-  
 gesimum quarto: Cadaver ejus in La-  
 terano terræ mandatum quiescit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. LXXXIV.

*Plures Prælati ad Romanam Purpuram ab Urbano VIII. Papa euecti.*

Die trigesima Augusti Urbanus VIII. *Ciacon, in vita Urban, VIII.*  
tres Diaconos Cardinales, quos  
anno priori quidem renuntiaverat, nondum tamen evulgaverat, hoc anno creabat: ex his primus erat, Nicolaus Franciscus a Lotharingia, qui nullum titulum obtinuit. II. Hieronymus Vidanus patria Cremonensis, Diaconus Cardinalis tit. quatuor Coronatorum. III. Martius Ginetus Veliternus, Cardinalis tit. S. Mariæ Novæ, postea sancti Angeli, ac demum S. Eustachii, qui Presbyter Cardinalis nominatus plures alios titulos optabat. Præter hos Papa in eodem confessu quatuor alios ad Romanam Purpuram vocavit, quinque in pectoris scrinio reservatis. Illos inter primus nominabatur Fabritius Verospius patria Romanus, Presbyter Cardinalis primo tit. Sancti Laurentii in pane & pera, postea S. Mariæ de Pace. II. Ægidius Carillus natione Hispanus, Tarentinus Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Petri in Monte Aureo. III. Petrus Berullius patria Campanus, supremus Congregatio-

R r 4

gatio-

Sæc. XVII. gationis Patrum Oratorii Moderator,  
 A. C. 1627. Cardinalis Presbyter sine titulo, utpote  
 semper Roma absens. Hic Gallicanam  
 Congregationem Oratorii Jesu die quarto  
 Novembris anno hujus sæculi undeci-  
 mo instituerat. IV. Alexander Cæse-  
 rinus Nobilis Romanus Cardinalis Die-  
 conus tit. Sanctæ Mariæ in Dominica,  
 postea S. Eustachii, tum S. Mariæ in  
 Via lata.

## §. LXXXV.

*Illustrium Personarum decessus.*

*Theatr. Eu-  
 rop. tom. I.  
 p. 1045.  
 Brachel,  
 Hist. l. 3.  
 pag. 129.  
 Lotich. rer.  
 Germ.  
 l. 20. c. 4.  
 Gramond.  
 Hist. Gall.  
 lib. 16.*

Eodem hoc anno, quo Benignus Bos-  
 fuetius longe celeberrimus Me-  
 densis Præful primam lucem aspexit,  
 obiit Pragæ die duodecima Februarii  
 Carolus Princeps Liechtensteinius Bo-  
 hemici Regni Prorex, qui Deo, Ec-  
 clesiæ ac Cæsari ad usque extremum  
 vitæ halitum fidelis ingens sui delide-  
 rium reliquit: Corpus ejus a Maximi-  
 liano & Gundachero ejus Fratribus Mo-  
 ravianam deportatum, Eisgrubii familie  
 suæ castello tumulatum est. Pari fati  
 lege ex humanis excessit die quarta  
 Junii Maria Montpenferia Princeps que  
 anno priori, annuente Ludovico XIII.  
 Gastoni Aurelianensi Duci Regis Fratri  
 nupserat, verum ubi filiam enixa est,  
 rebus mundanis valedixit: Fœmina e-  
 rat

rat muliebri forma, generis nobilitate, Sæc. XVII.  
 virtutum præstantia, morumque gravi- A. C. 1627.  
 tate ultra ætatem sexumque excellens:  
 ipsamet morti proxima Maritum im-  
 modice afflictum solabatur, eundem  
 hortata, ut præcipites iracundiæ mo-  
 tus temperaret. Hanc citatis passibus  
 ad æternitatis viam insequabatur Ca-  
 roli Lotharingiæ Ducis Mater, quæ  
 Vaudemontio Duci nupta die nona De-  
 cemberis contabuit, mærore exin con-  
 cepto, eoquod ejus Maritus Austriacis  
 addictus milites contra Franciæ Regem  
 conscripsisset, qui tamen post obitum  
 suæ conjugis omni Ducatus cura in Ca-  
 rolum Filium suum rejecta, totum se  
 pietatis operibus addixerat. Eodem  
 Mense Ludovicus Comes Fürstenber-  
 gius heros fortissimus in Tyllianis ca-  
 stris & vitæ & militiæ finem imposuit:  
 exeunte autem hoc anno die decima  
 sexta Decembris Vincentius II. Mantuæ  
 ac Montferrati Dux improlis decessit,  
 qui dum Ducem Nivernensem designas-  
 set hæredem, ingentium per Italiam  
 motuum bellorumque fomitem sub-  
 jecit.

Rr 5

§. LXXXVI.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

§. LXXXVI.

*Pax inter Ferdinandum Cæsarem, &  
Turcarum Imperatorem  
innovata.*

*Lotich. rer. Germ. l. 19. cap. 5. Theatr. Europ. p. 1042. Sagredo Hist. de Mon. Ottom. Ortel. chron. Hang. p. 112.* Hucusque inter Cæsarem & Turcum pax per integros viginti annos sepius conclusa nunquam firmo subsistit pede, variis utrinque hostilitatibus turbata: tandem vero hoc anno Amurathes IV. Turcarum Imperator, cum a Persis acriter bello premeretur, pacem cum Ferdinando Cæsare firmare constituit. Delegantur igitur utrinque Oratores, plena agendi facultate instructi, qui Mense Septembri in Strigoniensibus castris convenientes, in hac pacis leges consenserunt. I. Singulæ transactiones Superioribus annis in hæc essent sartæ tectæ. II. De Waizenurbe & arce Balantvaria amice inter utriusque Imperatoris Legatos transgeretur. III. Propugnacula in Croatia finibus erecta intra decendium die duodecima Januarii solo æquarentur. IV. Conclusæ hujus pacis articulos Legati unacum muneribus ad utrumque Imperatorem deferrent, ab eis ratihabendos: in festo autem Nativitatis Dominicæ Cæsareus Legatus Commoram, Turcicus vero Strigonium

venirent, ac die prima Januarii hic ad Sæc. XVII.  
 Ferdinandum, ille autem ad Amura- A. C. 1627.  
 them cum muneribus pretiosis profi-  
 ciscerentur. V. De Pagis contra pacta  
 interceptis, aliisque querelis inter ut-  
 riusque Imperatoris Legatos die duo-  
 decima Januarii transigeretur. VI. Qui  
 induciarum tempore capti fuere, utrin-  
 que absque lytro dimitterentur: ceteri  
 vero in vincula redacti, alius pro alio  
 redimeretur. VII. Hæc pacificatio ad  
 viginti quinque annos extraheretur.  
 VIII. Utriusque Imperatoris subditis  
 integra esset itinerum & commerciorum  
 libertas; pœna in transgressores decer-  
 nenda. IX. In finibus utriusque Im-  
 perii constituerentur Præfecti pacis stu-  
 diosi. X. Nec Ferdinando a Turcis,  
 nec Achmeti a Cæsareis quicquam mo-  
 lestiæ inferretur. XI. Injuriæ, con-  
 tumeliæ, spolia, prædæ, & cædes huc-  
 usque factæ pro non factis haberentur.  
 His articulis utrinque firmatis Turca-  
 rum Imperator solemnes Mahometi Pro-  
 phetæ suo grates rependit, confestim-  
 que ad Ferdinandum Cæsarem, qui  
 tum Pragæ agebat, Legatum suum  
 cum pretiosioribus, quam unquam do-  
 nis instructum decrevit; verebatur en-  
 nim, ne pax recens inita non sine lu-  
 culento Imperii sui detrimento dissol-  
 veretur: præterquam enim, quod Prin-  
 cepts

Sæc. XVII. ceps Georgianus Turcis foederatus ma-  
 A. C. 1627. gna clade a Persis victus cæsusque esset,  
 insuper etiam ipsimet Bassæ in Asia &  
 Arabia in Turcici Imperatoris excidium  
 conjurabant, ex quibus Emirus Facar-  
 dus Saydæ Bassa præcipuum Syriæ pro-  
 pugnaculum ceperat, Yemenes vero  
 incolæ totum hoc Arabiæ felicis Re-  
 gnum excusso Turcarum jugo ad alium  
 ex Regia Yemensium stirpe ortum tran-  
 tulerunt: Abassa quoque, qui Impe-  
 ratori nuper reconciliatus Azeronensem  
 Præfecturam obtinuit, lectissimum exer-  
 citum ab Amurathe pro recuperanda  
 Babylonia emissum adorsus est, om-  
 nesque Janissaros unacum quatuor Bas-  
 sis fudit, deleuitque: Nec majori tran-  
 quillitate Amurathes Constantinopoli  
 potiebatur: Pacha enim Bassa quædam  
 Osmanis Sultani necem vindicandi ob-  
 tentu cunctos Janissaros trucidari ius-  
 sit, in quem tamen Chailius Vezarius  
 irruens, potissimas hujus Tyranni co-  
 pias interfecit. Accessit ad tantæ in-  
 felicitatis cumulum, quod Florentini  
 in mari Mediterraneo prope Insulam  
 Tenedos Turcis viginti septem naves  
 cum opima præda, necnon Christiani,  
 qui mancipiorum more sub Turcico jugo  
 diu gemebant, triremem quadringentis  
 coronatorum millibus onustam interce-  
 perint: Melitenses quoque naves alias  
 præti-

pretiosis mercibus graves Turcis eripuerint. Inde vero Achmetes tanta exarsit rabie, ut a Batavis Anglisque pacem initam turbare intentis sollicitatus, omnes Jesuitas, sub obtentu, quod librum Alcorano adversum divulgassent, Græcia excedere, Christianos vero opifices, qui altiore pretio montam receperant, auribus ad officinarum portas affigi, & Cadium quemdam seu Turcicum Jurisperitum, eo quod adversus Regiminis normam declamasse diceretur, laqueo suffocari præciperet: ne tamen Jesuitæ expellerentur, anno sequenti obstitit Cæsius Franciæ Regis Legatus.

## §. LXXXVII.

*Cyrilli Lucaris Pseudo - Patriarchæ Constantinopolitani studium in propaganda Calvinæ sectæ.*

Haud ultra dissimulanter Cyrillus Lucaris Constantinopolitanus Patriarcha Calvinianæ sectæ præceptis favēbat, Religionem suam ad quamvis auræ flatum vetere jam assuetus; quippe ex Turco Græcus, ac demum Calvinianus hybrida effectus, ubique se sceleratum, perfidum ac versipellem Virum exhibebat, hoc autem anno, ut a Græcis haud immerito vexatus, Bata-

*Du Pin hist. de l'Ecclis. tom. 4.*

*Vid. supra l. 190. §. 31. t. 55. p. 245.*



Sæc. XVII. Batavos sibi propitios redderet, quosdam adolescentes Græcos in Hollandiam instituendos emisit, qui deinceps per Græciam, quod ibi hauissent, virus Calvinianum spargerent: Conscriptit quoque fidei suæ confessionem Carolo I. Angliæ Regi a se nuncupatam, quam Hollandiæ Orator Genevæ typis edi curaverat.

## §. LXXXVIII.

*Gravis contentio inter Angliæ Clerum sæcularem & Regularem.*

*Dupin. l. c.  
pag. 299. i  
Abrege  
chron. de  
Hist. Eccl.  
tom. 3.  
Argentre  
Conc.. Fac.  
Paris. t. 2.  
pag. 340.*

Proximum erat, rebus profanis in Anglia oppido turbatis, Clerum quoque sæcularem & Regularem inter se diro schismate non sine maximo Ecclesiæ damno, populique offensione collidi. Hujus autem dissidii, quia tempus, & res monent, narrationem ab ovo, quod ajunt, accersere, & ad mala, nullis ambagibus pro rei gestæ veritate deducere lubet. Sic autem ea res se habuit. Submiserat Gregorius XV. Pontifex Maximus in Angliam Guilielmum Bishopium Sorbonæ Doctorem ac Episcopum, qui tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus Catholicum hujus Regni populum pasceret ac regeret. Eo fatiis functo Urbanus VIII. Gregorii Successor subrogabat Richar-

dam Schmith natione Anglum Chal- Sæc. XVII.  
cedonensem Episcopum, cui parem A. C. 1677.  
cum ceteris Ordinariis potestatem con-  
tulit, ac sequenti diplomate Aposto-  
lico munivit.

*Dilecte Fili, salutem & Apostolicam  
Benedictionem.*

*Ecclesia Romana sollicita de salute fi-  
liorum mater, in eos præcipue cordis sui  
affectum intendit, qui pastoralis providen-  
tiæ auxilio magis indigent. Hinc est, quod  
non sine viscerum nostrorum commotione con-  
siderantes, Catholicos Regnorum Angliæ &  
Scotiæ hæresis violentia oppressos utilitati-  
bus iis destitui, quas cæteri Ecclesiæ filii  
ab Episcoporum ministerio percipiunt, Epi-  
scopi solatio quantum cum Domino possu-  
mus, eos sublevare decrevimus, Quapro-  
pter de tua fide, prudentia, integritate,  
Catholicæ Religionis zelo ac doctrina plu-  
rimum in Domino confisi, Tibi, ut post-  
quam munus Consecrationis susceperis, &  
ad ea Regna te contuleris, ad solatium ani-  
marum & spirituale bonum Christi fidelium  
Catholicorum in regnis Angliæ & Scotiæ  
prædictis existentium, siue quos pro tem-  
pore ibi existere contigerit, ad nostrum &  
Sedis Apostolicæ beneplacitum, omnibus &  
singulis Facultatibus olim Archipresbyteris  
Angliæ a Sede Apostolica deputatis per  
sel.*

Sæc. XVII. fel. record. Clementem VIII. & Pau-  
A. C. 1627. lum V. Romanos Pontifices prædecessores  
 nostros concessis; necnon quibus Ordinarii  
 in suis Civitatibus & Diocæsisbus utuntur,  
 fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, &  
 gaudere possunt; similiter uti, frui, &  
 gaudere libere & licite possis & valeat,  
 Apostolica Authoritate, tenore præsentium,  
 licentiam & facultatem impertimur: Te-  
 que ad præmissa omnia & singula autori-  
 tate & tenore prædictis delegamus.

Causarum tamen in secunda instantia  
 cognitionem & terminationem, omnemque  
 a quocunque gravamine recursum nostro apud  
 charissimum filium Ludovicum Franco-  
 rum Regem Christianissimum nunc & pro  
 tempore existenti Nuntio reservamus, &  
 reservata esse volumus, cui non intromi-  
 mus per præsentis ullatenus præjudicari.  
 Non obstantibus Apostolicis ac in Univer-  
 salibus Provincialibusque, & Synodalibus  
 Conciliis editis generalibus vel specialibus  
 constitutionibus & ordinationibus, cæteri-  
 que contrariis quibuscumque. Datum Ro-  
 mæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris  
 die IV. Februarii MDCXXV. Pontificatus  
 nostri anno secundo.

V. Theatinus.

Hac igitur potestate suffultus Chel-  
 cedonensis Episcopus, Londinum con-  
 tendit, insolito populi gaudio, ac de-  
 bita Cleri veneratione exceptus.

§. LXXXIX.

## §. LXXXIX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.*Querelæ Chalcedonensis Episcopi ad-  
versus Patris Mathæi Wilsoni  
Angli Jesuitæ librum.*

Postquam vero Chalcedonensis Epi-  
scopus pro muneris sui ratione cor-  
ruptelas temporum iniquitate irrepent-  
es tollere aggrediebatur, ac præpri-  
mis haud ultra tolerandum censebat  
abufum, quo Regulares absque Epi-  
scopi approbatione Confessiones exce-  
perant; eapropter Pii V. Constitutio-  
nem hac super re editam omnino exe-  
quendam decrevit: Tum vero Jesuitæ  
Angli, non ad sobrietatem sapientes,  
adversus hoc Episcopi decretum ceteros  
Regulares concitabant, cauffati,  
eorum privilegiis plurimum inde dero-  
gari: hi ergo velut classico animati,  
una omnes huic Delegato Pontificio ob-  
sequium denegant, atque eum con-  
citatatis Catholicorum potissimis eo adi-  
gant, ut palam prodire vix auderet.  
Hujus Viri defensionem in se suscep-  
erat Mathæus Kelifonus Doctor, atque  
Anglici Duacensis Collegii Præses, qui  
hanc in rem Anglico idiomate librum  
edidit *de Hierarchia Ecclesiastica*:

*Alegambe  
Bibl. Soc.  
Script. lit. E.  
Abr. ge l. c.*

Vix publicam lucem aspexerat Ke-  
lisoni tractatus, cum illico sub emen-  
titio

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.*

S s

Sæc. XVII. A. C. 1627. tito nomine Nicolai Smith, qui Episcopo Chalcedonensi sanguine junctus erat, liber in Anglia divulgaretur, qui hunc præferebat titulum: *Modestis & brevis discussio aliquarum assertionum, quæ docentur a M. Doctore Kellifono in suo de Ecclesiastica Hierarchia tractatu, Authore Nicolao Smithæo.*

Hujus vero libri Authorem fuisse Patrem Mathiam Wilsonum Jesuitam, qui subinde etiam sub nomine Eduardi Knotti latebat, testatur ipsemet P. Alegambe itidem Jesuita, qui de eo in sua Scriptorum Bibliotheca (\*) hæc habet: Eduardus Knottus, vero nomine „Matthias Wilsonus, natione Anglicus, patria

(\*) Observatu dignum est, quod in editione recentiori præfatæ Bibliothecæ anno 1676. Romæ facta studiose hæc verba scripta &c. usque ad finem fuerint omissa, & quævis in veteri editione Antverpiensi de anno 1643. literis Joannis Meursii confecta non modo præfata verba, sed etiam ejusdem Wilsoni *defensio Nicolai Smithæi adversus reprobandam fuerit disertis verbis indicta*, in hac tamen editione hæc opuscula duntaxat sub hac epigraphæ annotentur: *Monita utilissima pro Patribus Missionis Anglicanæ inedita.*

„patria Northumber, vir eximie do- Sæc. XVII.  
 „ctrinæ, & aptissimæ ad gubernandum A. C. 1627.  
 „mansuetudinis. diu Romæ in Anglo-  
 „rum Collegio juventutem educavit,  
 „deinde Anglicanæ Provinciæ præpo-  
 „situs est. Scripsit doctissimum libel-  
 „lum, qui sub nomine Nicolai Smithæi  
 „est editus hac Epigraphe. „

*Modesta & brevis discussio aliquarum  
 assertionum D. Doctoris Kellisoni, quas in  
 suo de Ecclesiastica Hierarchia tractatu pro-  
 bare conatur. „Ex Anglico in Latinum  
 „a Georgio Wrigtho conversa, & plu-  
 „rimis Doctorum atque adeo Catholi-  
 „carum Universitatum suffragiis appro-  
 „bata. Impressa Antverpiæ in officina  
 „Plantiniana 1631. „*

## §. XC.

*Episcopi Chalcedonensis epistola ad  
 Sacram Facultatem Parisiensem  
 contra hujus libri Au-  
 thorem.*

Re comperta Richardus Papæ Dele- Argentis  
 gatus, ne in propria causa judex l. c. p. 34x.  
 esse crederetur, hanc Patris Wilsoni  
 discussionem per alium discutiendam,  
 censurisque notandam Parisiensis Fa-  
 cultatis Theologicæ Doctoribus trans-  
 misit, exarata ad eos hac epistola:

S s 2

Exi-

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

*Eximii, & sapientissimi Doctores.*

Cum liber quidam lingua Anglicana  
per prodierit, cui titulus inscribitur. Mo-  
desta & brevis discussio aliquarum as-  
sertionum, quæ docentur a D. Doctore  
Kellifono in suo de Hierarchia Eccle-  
siastica Tractatu, Authore Nicolao  
Smithæo. In quo licet multa continen-  
tur tendentia in insigne præjudicium Episco-  
palis dignitatis, & in contemptum Dom-  
norum Curatorum, & nonnulla etiam er-  
ronea de Sacramento Confirmationis, &  
de Ecclesiastica Hierarchia, quæ omni vi-  
dentur animadversione dignissima; nihil-  
ominus Authores istius libelli, ut autori-  
tatem illi conciliarent, curaverunt appro-  
bationes duorum Doctorum sacra Facultatis  
vestræ Parisiensis, scilicet Reveren-  
dorum Fratrum Stephani Reverdi, & Reg-  
naldi de Vaulx cum eodem libello typis ma-  
dari, atque illi præfigi. Quare humiliter  
me supplico nomine Episcopi Chalcedonensis  
& Cleri Anglicani, ut eximie Dominici-  
nes vestræ dignentur tempestivum huic mali  
remedium adhibere, & ut velint proposi-  
tiones, quæ in dicto libello docentur, annotari  
iisque eam censuram apponere, qua digni  
sunt, ne alioquin authoritas Reverendorum  
Doctorum eximie Facultatis vestræ ad illius  
robur & vim perniciosæ doctrinæ in illo  
tradita, & occasionem præbeat, ut in in-  
ferma-

*firmorum animis altiores, quam par est ra-* Sæc. XVII.  
*dices agat.* Hanc epistolam suffulcie- A.C. 1627.  
 bat sæcularis Angliæ Clerus, qui ex  
 eodem hoc libro plures excerpserat pro-  
 positiones, quas Parisinæ & Lovanien-  
 sis Facultatis iudicio ac censuræ sub-  
 jecit.

## §. XCI.

*Joannis Floydæ Jesuitæ liber adver-*  
*sus Chalcedonensis Episcopi*  
*decretum.*

Eodem ferme tempore alius in Anglia  
 vulgabatur liber, sub titulo: *Apo-*  
*logia pro Processione sanctæ Sedis Aposto-*  
*licæ, quantum ad gubernationem Catholi-*  
*corum in Anglia durante tempore persecutio-*  
*nis, cum defensione status religiosi. Autho-*  
*re Daniele a Jesu sacre Theologiæ Lectore.*  
 Hujus vero libri genuinus Author erat  
 quidam *Floyds* Jesuita Audomaropoli in  
 Galliis Professor, nomine Gallico Jean  
 Fluidis; quippe *Daniel a Jesu* erat dun-  
 taxat anagrama veri nominis latini Joan-  
 nis Floydæ, de quo rursus Pater Ale-  
 gambe in antiquiore editione Antwer-  
 piana pag. 242. hæc, in recentiore edi-  
 tione tamen rursus suppressa, habet:  
*Joannes Floydus natione Anglus, patria*  
*Cantabrigiensis post studia Romæ in An-*  
*glorum Collegio cepta Societati se addi-*  
 xit



Sæc. XVII Sæc. 1627 xit anno Salutis 1592. missus postmodum in Angliam, captus atque in exilium pulsus est; docuit complures annos Theologiam in Lovaniensi Anglorum Collegio; jamque Audomari scribendis libris intendit: scripsit sub nomine Annoni Faldia Verimontani Sinopsin apostasie Martini Antonii de Dominis ex ipsiusmet Libro delineatam, Antverpiæ typis Nutii 1617. in 8. Sub nomine H. L. id est Hermanni Leomelii, Spongiam seu Querimoniam Ecclesie Anglicanæ, & appendicem ad Illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem scripsit. Opuscula aliquot, quibus regimen Catholicorum in Anglia a sancta Sede Apostolica institutum propugnat, & decretum sacre Congregationis ad indicem Librorum deputate contra contumaciam notandam in Gallia defendit. Et sub nomine Danielis a Jesu Apologiam sancte Sedis Apostolicæ quoad modum procedendi circa regimen Catholicorum in Anglia primum anglice, dein latine Rothomagi. 1631. edidit.

## S. XCII.

*Conclusio Facultatis Parisinæ contra  
cujusdam casus decisionem.*

*Argente  
l. c. p. 182.*

Haud parum hæc contentio augebatur per Georgium Frogerum Facultatis Parisinæ Syndicum, qui die prima

prima Martii anno Christi millesimo sex- Sæc. XVII.  
centesimo vigesimo nono querebatur, A. C. 1627.  
quod quidam ementito & falso nomi-  
ne Doctorum Parisiensium titulos &  
apices sibi arrogassent, suæque censu-  
ræ resolutiones, quasi Doctorum Pari-  
siensium, præfixissent cuidam libello,  
in quo continetur resolutio casus pro-  
positi per Præsidentem Generalem &  
Definitores regiminis totius Congrega-  
tionis Anglicæ Ordinis sancti Benedicti:  
*an Regulares exempti ad conversionem hæ-  
reticorum, in Regnis Angliæ & Scotiæ de-  
stinati a Sede Apostolica, cum facultatibus  
ad hoc munus sufficientibus quoad Scholasti-  
corum administrationem (excepta confirma-  
tione & ordinatione) cum facultate absol-  
vendi ab omnibus casibus omnes etiam Ec-  
clesiasticos & Regulares, teneantur ad ap-  
probationem se præsentare Reverendissimo  
Chalcedonensi habenti duntaxat facultates  
Archipresbyteris Angliæ olim concessas &  
facultates, quibus utuntur Ordinarii in suis  
Diocæsis, ad nutum duntaxat summi Pon-  
tificis nunc sedentis, & sanctæ Sedis Apo-  
stolicæ.* Hic vero casus, addebat Syn-  
dicus, fuit decisus in favorem prædicto-  
rum religiosorum, per Fratres Domi-  
nicum a Jesu definitorem Provinciæ  
Galliæ & Carmelitarum Discalceatorum  
Vicarium Parisiensis Conventus, Pro-  
fessorem Theologiæ emeritum, Hila-  
rium

Sæc. XVII. rium a Costa Correctorem Conventus  
A. C. 1627. Parisiensis S. Francisci de Paula, Joannem Prieur antiquum Provinciale & ejusdem Conventus Seniore, Franciscum de Paula Nouë, Lectorem Theologiæ & Prædicatorem, Martinum Herisse definitorem, Lectorem Theologiæ & Prædicatorem ejusdem Ordinis. Repercepta Facultas, hos subignatos Theologos, nec esse Facultatis Doctores, nec pro talibus habendos declaravit, proin approbationem, censuramque libello a Benedictinis Anglis præfixam reprobavit.

## §. XCIII.

*Quorundam querelæ contra Hibernos de doctrina haud abfynili.*

*Argente  
 h. e. p. 327.*

Fervente in Anglia hoc tumultu inconsulta hæc inter utrumque Clerum contentio Hiberniam usque propagata est: crebra utrinque in vulgus spargebantur scripta, in quorum non paucis magis æmulationis intemperies quam justitiæ Zelus prævalebat: eodem quoque occasione adversus quosdam Hybernix Regulares insurgebant ex Clericis nonnulli, atque inter eos præcipue Patricius Cahilus Ecclesie Dublinensis ad S. Michaelem Rector, qui quasdam de Hierarchia Ecclesiastica proponit.

propositiones conscripsit, quas in nullo Sæc. XVII.  
 quidem Hibernorum libro typis editas A. C. 1627.  
 offenderat, passim tamen ab eis tum  
 in familiari sermone, tum in concioni-  
 bus & disputationibus in Hibernia pro-  
 latas fuisse ajebat, hancque in rem  
 tanquam testes advocabat Michaellem  
 Cantualem Provinciæ Momoniensis  
 Procuratorem, Jacobum Fallonum Ge-  
 neralem Achadensem Vicarium, & Te-  
 rentium Coghlanum Apostolicum urbis  
 & Diæcesis Cluanensis Vicarium: ho-  
 rum testimonio fretus Cahilus unacum  
 propositionibus, quas a Regularibus  
 sparsas ajebat, per Henricum Maillar-  
 dum Episcoporum ac Parochorum Pro-  
 curatorem epistolam horum testium chi-  
 rographo munitam ad Parisiensem Fa-  
 cultatem transmisit, hujus tenoris:

*Sapientissimi Magistri, Viri Reverendi,*

Cum inter cætera, quæ Ecclesiam Hy-  
 bernicam affligunt, Hæreticorum domina-  
 tione quassatam, non mediocriter detrimentum  
 adferant dissidia & contentiones inter ipsius  
 membra nuper suscitata ex perversa cemu-  
 latione, & quorundam nimio excellentiæ  
 appetitu, visum est ab iis levamen aliquod  
 petere, qui in hisce Theologici fori con-  
 troversis facem possunt ad veritatis lucem  
 accendere. Quæ quoniam radios suos nus-  
 quam illustrius aut copiosius effundit, quam

Ss 3

in

Sæc. XVII in hac alma Universitate Sorbonicæ Facul-  
A. C. 1627 tatis, ad eam potissimum sibi recurrendam  
 putarunt illi, qui istorum dissidiorum in-  
 commoda persentiscunt. Quorum nomine  
 & hortatu has assertiones quorundam Re-  
 gularium in Hybernia, tum in familiaribus  
 sermone, tum in Concionibus & disputatio-  
 nibus ab iis sæpe magno cum Cleri con-  
 temtu atque dispendio prolatas, huc ad nos  
 adduxi, ut secundum prudentiam vestram  
 de iis judicare, & prout expedire videbitur,  
 decernere possitis. Ne autem quidquam à  
 me sine fundamento propositum, vel exag-  
 geratum videatur, sunt modo in hac urbe  
 ac gente mea Viri Reverendi, Ecclesiastica  
 dignitate præfulgentes, aliique venerandi  
 Sacerdotes, qui parati sunt testari, nihil  
 in hac parte contra veritatem adserere,  
 sed ea tantum, quæ ipsi vicissim vel audiverunt  
 vel fide dignissimorum relatione didicerunt.  
 Quare humiliter supplico, ut assertiones  
 illas expendere, & quod vestrum à  
 illis iudicium erit, declarare dignemini.

## §. XCIV.

Parisiensium Facultatis censura contra Hy-  
 bernorum propositiones de Hierarchy  
 Ecclesiastica & jurisdic-  
 tione Episcoporum ac  
 Parochorum.

Die igitur secunda Decembris anno Sæc. XVII. A. C. 1627.  
 hujus sæculi trigesimo Maillardus Graveson Hist. Eccl. t. 9. p. 72.  
 undecim propositiones Regularibus im-  
 putatas sacræ Facultati Theologicæ Pa-  
 risiensi in suis comitiis congregatæ ex-  
 hibuit, unacum alia epistola præfati  
 Cahili ad Decanum & Sorbonæ Ma-  
 gistros perscripta, cujus tenor erat se-  
 quens: *Assertiones quorundam in Hyber-  
 nia Regularium ad hanc celeberrimam Uni-  
 versitatem per me transmissæ, & nuper in  
 consessu vestro exhibitæ idoneam a vobis cen-  
 suram expectant, eademque nova hac peti-  
 tione ego supplex posco, tanto quidem obni-  
 xius, quo graviora inter nos incommoda  
 creant eorum animositate, qui hujusmodi  
 propositiones divulgare pergunt. Ex qui-  
 bus non leves in Ecclesia nostra divisiones ad  
 despectum Cleri & populi scandalum oriun-  
 tur. Ne autem illarum authoribus occasio  
 relinquatur, eas in posterum defendendi,  
 sive ut solent, palam ventilandi, si ab hu-  
 jusce Facultatis Magistris paulo mitius re-  
 missiusve notarentur, expedire omnino vi-  
 detur, ut censuræ gravitate suorum erro-  
 rum enormitatem edoceantur, & edocti ab-  
 stinere deinceps addiscant. Quare vos rogo,  
 uti nobis in hac parte & Ecclesiæ nostræ  
 tranquillitati adesse velitis præpotenti re-  
 medio, quod a vestro judicio expectamus.*  
 Prælegebantur igitur hæ propositiones,  
 quas Facultas, an jure Regulari-  
 bus

Sæc. XVII. bus adscriberentur, parum sollicita, in  
 A. C. 1627. *summam Ecclesie ac Fidei Catholice, Or-*  
*dinisque hierarchici perniciem, & summi*  
*Pontificis, omniumque Episcoporum conti-*  
*meliam vergere, errores intolerandos, ne-*  
*non schismatum & discordiarum semina*  
*continere, confestim judicavit; ac proinde,*  
*pro ea, qua pollet, autoritate, ne peri-*  
*grinæ & adulteratæ doctrinæ venenum le-*  
*tius serpere pateretur, damnandas, & si*  
*quam merentur censura quamprimum af-*  
*ciendas censuit. Neque etiam perfecta*  
*ingruentis inde mali atrocitate, suspi-*  
*cere credebat Facultas, ut generali*  
*quadam animadversione tam perniciosa*  
*dogmata universim damnarentur, sed*  
*Reipublicæ Christianæ omnino in-*  
*teresse dicebat, ut singulis seorsim sin-*  
*gulares, pro vitiis, quibus laborant,*  
*notæ inscriberentur. Quapropter ut*  
*quid præpropere in tanti momenti fe-*  
*cisse, sed omnia mature, ex ordine &*  
*consilio peregisse videretur, statim*  
*primum in privatis Comitibus selectorum*  
*Doctorum, quos pro prudentia sua ad*  
*se accerseret venerandus Decanus, con-*  
*ferendas esse propositiones istas cum Co-*  
*dice Anglico opera Maillardi linguæ Hy-*  
*bernicæ periti versas, earumque exem-*  
*plaria aliquot describenda, ac per singu-*  
*las Doctorum classes distribuenda, ut*  
*singuli paratiores accederent, ac die*  
*prima*

prima Januarii iudicium suam desuper Sæc. XVII.  
ferre possent: A. C. 1627.

Præceps hic Doctorum fervor suspi-  
cionem ingerebat Facultatis Decano,  
eapropter haud cunctanter exposuit:  
„insolitum sibi videri, ac præter Fa-  
„cultatis consuetudinem & gravitatem,  
„ut animadvertat in propositiones ali-  
„quas, nisi constet prius, quo ex libro  
„sint desumptæ, aut quo authore pro-  
„fectæ, ne sibi monstra aut larvas fin-  
„gere videatur, quas debellet: nec  
„unius Cahili testimonium in re tam  
„gravi sufficere ajebat, eapropter duos  
„Sacerdotes Hibernos accersiri jussit,  
qui a se rogati, has propositiones pas-  
sim a Regularibus Hibernis doceri ac  
propugnari, jurato testarentur. Tum  
vero plurimi Doctores ex præcipuis  
classibus selecti has propositiones, prout  
exhibebantur, censuris perfringerent:  
Die autem secunda Januarii Facultatis  
Syndicus denuo petiit, ut in examine &  
censura propositionum tam Hybarnarum,  
quam Nicolai Smithæi paulo lentius,  
ac pro rei gravitate maturius procede-  
retur, eoquod, ut ajebat ipse, *præpro-  
perum iudicium sæpius aberrandi occasio-  
nem pareret.* Nihilominus quinta post die  
jamjam Facultas Doctorum censuras  
confirmari ac demum typis evulgari  
voluit, easque die decima quinta Ja-  
nuarii



Sæc. XVII. nuarii approbatas præsentibus plus  
 A.C. 1627. quam sexaginta Doctoribus palam pro-  
 mulgari iussit: Erant autem in præta-  
 tas undecim propositiones censure  
 sequentes.

*Propositio prima.* Hierarchia Eccle-  
 siastica constat ex Pontifice, Cardina-  
 libus, Archiepiscopis, Episcopis, &  
 Regularibus. *Censura.* In ista propo-  
 sitione enumeratio membrorum Hiera-  
 chiæ Ecclesiasticæ, seu sacri Principi-  
 tus divina ordinatione instituti, et  
 manca & redundans, atque inducens  
 in errorem contrarium determinationi  
 sacre Synodi Tridentinæ. II. Sacer-  
 dotes sunt meri sæculares. *Censura.*  
 Ista propositio est ambigua, falsa, at-  
 que adversus quoscunque Sacerdotes  
 injuriosa, & aliquo sensu hæretica.  
 III. Regulares sunt veri & soli Curati,  
 sive Pastores. *Censura.* Ista propositio  
 est falsa, temeraria, schismatica, &  
 hæretica. IV. Regulares possunt mi-  
 nistrare omnia Sacramenta, etiam in-  
 vito Parocho. *Censura.* Ista propositio  
 est falsa, Ordinis hierarchici destruc-  
 tiva, & juri communi contraria. V.  
 Parochiani non tenentur in propria Pa-  
 rochia communicare in Paschate. *Cen-  
 sura.* Ista propositio est falsa, scandalo-  
 sa, temeraria, & juri communi con-  
 traria, VI. Solis Regularibus compe-  
 tit

tit vocari Patres. *Censura.* Hæc pro-  
positio est falsa, inepta, & ridicula, Sæc. XVII.  
A.C. 1627.  
contra communem Ecclesiæ sensum  
& usum. VII. Ecclesiasticæ Hierar-  
chiæ pars prudentior, selectiorque sunt  
Regulares. *Censura.* Ista propositio est  
falsa, temeraria, & veris Ecclesiasti-  
cæ Hierarchiæ membris injuriosa, sen-  
sumque redolet hæreticum. VIII. Su-  
periores Regularium digniores sunt Epi-  
scopis, siquidem dignitas Pastoris pe-  
tenda est ex conditione sui gregis, quem-  
admodum opilio dignior est subulco.  
*Censura.* Ista propositio est falsa, teme-  
raria, seditiosa, Episcopalis dignitatis  
plurimum offensiva, & ut jacet, hære-  
tica. IX. Securius, & salubrius est  
peccata Regularibus, quam Pastoribus  
confiteri. *Censura.* Hæc propositio est  
falsa, scandalosa, temeraria, & Ordini  
Hierarchici destructiva. X. In par-  
tibus hæreticorum non tenetur popu-  
lus Christianus necessariam sustentationem  
suo Parocho subministrare, quia  
bona Ecclesiastica ab hæreticis possi-  
dentur. *Censura.* Ista propositio est  
falsa, erronea, bono Ecclesiæ nociva,  
juri divino, naturali, & positivo con-  
traria. XI. Privilegia Regularium non  
potest Papa revocare. *Censura.* Ista  
propositio est falsa, temeraria, sedi-  
tiosa, authoritati summi Pontificis,  
sanctæ-

Sæc. XVII. sanctæque Sedis Apostolicæ contrariâ,  
A. C. 1627. & originis privilegiorum destructivâ.

## §. XCV.

*Regularium Hibernorum vindiciæ con-  
tra falsam hanc accusationem.*

*Argentré  
l. c. p. 357.*

Haud supervacaneum fuisse Decretum & Syndici monitum de hoc negotio maturius discutiendo, rei eventus comprobatum reddidit; postquam enim Facultatis censura ad Hybernos fuerat delata, Regulares suâ innocentia tuti, de impacta calumnia vehementer querebantur, totumque negotium ad Sedem Apostolicam devolvebant: quoniam ipsemet Malachias Tuamensis Archiepiscopus, necnon Mauritius Inouacensis, & Boltius Elfingensis Episcopi, unacum Joanne Burgo Vicario Apostolico Cluanfertensi, & Francisco Roxouano Vicario Generali Tuamensis Parisinæ Facultati declararunt, nullam ex propositionibus a Cahilo exhibitis unquam a Regularibus Hibernis fuisse propugnatam, hancque in rem sequens transmisere testimonium: *Vidimus aliquas propositiones impositas Regularibus Hibernicæ (ut dicitur) exhibitas sanctæ Facultati Theologicæ Parisiensi per Dominum Patricium Cahil Sacerdotem Hibernum, censurandas: quibus cum videremus*

*Regia*

Regularium famæ supra modum & modestiam detracta: visum est nobis pro veritate declaranda, eidem sacræ Facultati testificari, præsentibus Religiosis nostrarum partium, quibus multorum annorum cursu convivimus, nullam ex propositionibus per dictum Patricium Cahil exhibitis, coram nobis prædicasse aut disputasse. Quin imo nobis fideles in vinea Domini fructificanda extitisse semper assistentes, testificamur. Datum in loco nostri refugii in Hibernia. Die Martii vigesima sexta anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo primo.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

Præterea Clericorum Hiberniæ sæcularium nomine Lucas Guyerus venerabilis Sacerdos Parisios contendit, atque Facultati hunc obtulit libellum supplicem: deferentibus Religiosis quibusdam audio perlata ad vos aliquorum Episcoporum testimonia, quibus fides detrahitur relationi clarissimorum virorum de certis propositionibus jam vestra censura notatis, & cum non solum propriæ sed etiam alienæ famæ ac honoris studiosos ac religiosos esse oportet, rogo, ut rem totam referatis diligentiori examini, præsertim cum contrarium constet tum aliorum Episcoporum, tum fide dignissimorum testimoniis, lisque tota jam pendeat in Romana curia, cujus auctoritate jam legati sunt aliqui, qui de re tota diligentius inquirent.

Sæc. XVII. Tandem etiam nomine Religio-  
 A. C. 1627. rum Hiberniæ, Nicolaus Lincæus S.  
 Theologiæ Magister & Ordinis FF. Præ-  
 dicatorum in Hibernia Provincialis Fa-  
 cultati Theologicæ literas supplices por-  
 rexit, hujus tenoris: *In titulo & limi-  
 nari epistola censuræ vestræ late die secu-  
 da & septima Januarii anno millesimo sex-  
 centesimo trigesimo primo & mandato vestro  
 prælo datæ a Carolo Morel, contra qua-  
 dam propositiones, quas censurandas exhibuit  
 D. Patricius Cahil, fertur eas passim a  
 Regularibus in Hibernia publicari, &  
 prædicari, non sine maxima Regularium  
 illius Regni injuria: neque hic stetit res;  
 nam adversarii, ut majorem Religiosæ in-  
 famiam excitarent, innumera dictæ censuræ  
 exemplaria impressa cum simili titulo, in  
 Hiberniæ vulgus & Optimates sparserunt,  
 unde ingentia scandala & dissidia orta sunt  
 in Clero, cum omnium Ecclesiasticorum sum-  
 ma confusione, lætantibus hæreticis, Ca-  
 tholicis vero dolentibus tam misere disceptari  
 Ecclesiam. Regulares omnium Ordinum  
 Hiberniæ, ut se a tanta calumnia liberarent,  
 dederunt per Procuratores suos epistolam ad  
 hanc sacram Facultatem, in qua protestan-  
 tur solemniter, nullam earum propositionum  
 (una excepta de Communione Pastoralis,  
 quam suppositis suis privilegiis probabilem  
 existimabant) ab aliquo Regulari assertam  
 fuisse. Quod etiam probarunt Prælati il-  
 lius*

lius Regni per suum authenticum testimo- Sæc. XVII.  
 nium, quo non solum eos ab illa impostura A.C. 1627.  
 liberant, sed etiam fideles in vinea Domini  
 excolenda sibi extitisse semper assistentes testi-  
 fificantur, & honoris reparationem condi-  
 gnam postulant, quibus cum fides adhiberi  
 debeat, supplicat vobis humiliter Fr. Ni-  
 colaus Linccæus sacrae Theologiae Magister  
 & Ordinis Prædicatorum in Hibernia Pro-  
 vincialis, ut velit sacra Facultas Religioso-  
 rum honori ut par est consulere, instrumen-  
 tumque fieri jubeat authenticum, quo declaret,  
 Regulares se per Procuratores suos legiti-  
 me & sufficienter purgasse ab illa impostu-  
 ra, & de sua innocentia exhibuisse testimo-  
 nium Prælatorum Hiberniæ, præcipiatque  
 ut verba illa: (Regulares in Hibernia)  
 ab Archivis Facultatis, & a libris impres-  
 sis eam censuram continentibus deleantur,  
 & imprimendis non apponantur, instrumen-  
 tumque hujusmodi Oratori consignetur;  
 quod eo vel maxime fieri potest, quod sacra  
 Facultas in publicis Comitibus jam testata  
 fuerit, illa verba præter mentem ipsius  
 fuisse apposita, quod si fiat, quieti & paci-  
 Cleri in illa regione providebitur; & in-  
 cendium dissidiorum, quod totum Regnum  
 jam invasit, magna ex parte extinguetur,  
 & citra cujuscumque injuriam Regularium in-  
 nocentiæ consulatur, & orabit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

§. XCVI.

*Epistola Hybernorum Regularium ad  
Facultatem Theologicam.*

*Argentre  
pag. 346.*

Die vigesima sexta Aprilis Cisterciensis, FF. Augustinianorum, Dominicanorum, Minorum, Capucinatorum, Jesuitarum, & Carmelitarum Procuratores ad hoc negotium specialiter deputati epistolam ab ipso Dublinensi Archiepiscopo & Hiberniæ Primate signatam ad Parisinam Facultatem dederunt, hæc exponentes: „Perplendidi doctrinæ vestræ radii per Christianum Horizontem quaquaversum late diffusi, summaque a Deo autoritatis vestræ gravitas, cuicumque alias etiam intrepido iudicii & censuræ vestræ mixtum veneratione horrorem incuteret, præsertim cum omnibus de prudentiæ vestra ita persuasum sit, nihil facile vestris manibus elabi, quod vestri ingenii acumine, & sinceritatis cribro non fuerit antea diu & permature discussum; nobis relatum tamen, sapientissimis Dominationibus vestris portitas fuisse nuperrime decem, duodecimve male sanas propositiones, Ecclesiæ placitis non adeo conformes, quasi in Cleri contemptum vulgo declamatas, quæ si vere (ut impositum vobis fuit)

„tanquam dogmata ab hujusce Regni Sæc. XVII.  
 „Regularibus jactatæ fuissent, merito A. C. 1627.  
 „sub gravissimæ censuræ vestræ pondere  
 „ingemiscentes, temeritatis & impru-  
 „dentia notam apud vos incurreremus;  
 „verum cum districto examine, ea qua  
 „feri potest diligentia, in earum Au-  
 „thores inquisiverimus,prehendimus  
 „tandem quorundam malevolorum  
 „confictas cerebro, & in nostrum ca-  
 „put male retortas fuisse, a nullis ante  
 „Regularibus vel prima fronte excogi-  
 „tatas, dempto quod Regulares supre-  
 „mi Pastoris Missionarii justas ob cau-  
 „sas, regnante præsertim schismate,  
 „æquale cum Clericis jus sibi vindi-  
 „cent etiam sub festum Paschæ sacræ  
 „Communionis Fidelibus administran-  
 „dæ: cæteræ interim propositiones  
 „venenosi sunt cujusdam pectoris exe-  
 „crationes, & commenta ad concilian-  
 „dam nobis conjunctam indignatione  
 „censuram vestram, hocque medic sæ-  
 „cularium contemptum procreandum.  
 „Horum machinator fuit Patritius Ca-  
 „hillus, qui ob libellum famosum, a-  
 „liasque in hac Diæcesi Dublinensi ex-  
 „hibitæ molestias sacris interdictus, su-  
 „spicatus id medicinæ sibi Regularium  
 „opera præscriptum fuisse, virus omne  
 „acerbitatis suæ in illos evomiturus ex-  
 „cogitavit hoc unicum, idque efficacif-  
 „simum



Sæc. XVII, „simum medium, ut suppositis suis pro-  
 A. C. 1627. „positionibus in eos tanquam earum Au-  
 „thores detorsis, eorum famam utrobique  
 „que laceraret, adhibitis interim aliis  
 „duobus non absimilis farinæ testibus,  
 „qui suæ delationi apud vos (ut appa-  
 „ret) cæteroque insufficienti proprio  
 „calculo subscriberent; quorum alter  
 „Michael Cantuellus sancte prius in sa-  
 „cratissima Societatis Jesu familia ad an-  
 „nos facile viginti enutritus, verum  
 „postea ab eadem velut membrum ari-  
 „dum rescissus; alter vero fuit quidam  
 „Terentius Coghlanus vix ab admini-  
 „strata sua in hac missione provincia  
 „non ita commendatus, ambo jurati  
 „Regularium hostes. Quare cum pro-  
 „mulgatione vestræ in nos fulminatæ  
 „censuræ grave capiti nostro malum ac-  
 „cersitum esse videamus, rogamus ob-  
 „nixè sapientissimas Dominationes ve-  
 „stras, ut qua animi moderatione ad-  
 „versarios nostros nobis imponentes ex-  
 „cepistis, eadem mentis æquitate no-  
 „bis nos ipsos de impositis calumniis  
 „purgantibus plenam fidem habe-  
 „tis. Præterea prædictum Cabillum,  
 „priusquam nos in eandem, apud puri-  
 „puratos Patres, quam apud vos infami-  
 „miam vocaturus, vestra præsertim  
 „munitus censura urbem advolet, di-  
 „strictè examinētis, detineatisque, in-  
 „terea

„terea dum Regulares de impositis ca- Sæc. XVII.  
 „lumniis reos esse convicerit. Quia vero A. C. 1627.  
 „quorundam seditiosorum capitum in-  
 „vidia, censura vestra per Regnum di-  
 „spersa, grave nobis procreavit malum,  
 „idcirco non exigui beneficii loco repo-  
 „nemus si vestras ad has responsorias,  
 „consolatorias nostri reciperent, parati  
 „quoad licuerit par pari rependere. In-  
 „terim a Deo optimo maximo omnem  
 „felicitatem sapientissimis Dominatio-  
 „nibus vestris peroptamus. Dublini in  
 „Regno Hybernix sexto Kalend, Maij  
 „Anno reparatæ Salutis millesimo sex-  
 „centesimo trigesimo primo.

## §. XCVII.

*Facultatis Parisinæ responsum ad Re-  
gularium querelas.*

Cum autem Facultas censuram semel Argentre  
 a se latam revocare nec posset, nec l. c. p. 357.  
 vellet, hinc ad Regularium libellos sup-  
 plices respondit, *negotium Hybernorum*  
*in questione facti esse positum, cujus proin-*  
*de cognitio, atque discussio nihil ad Facul-*  
*tatem spectaret, ac multo minus postquam*  
*cæpit agitari, contestata lite apud sanctam*  
*Sedem Apostolicam, cujus iudicium exspe-*  
*ctandum esset.* Statuebat tamen Patri  
 Lyncæo Hiberniæ Provinciali dandas  
 esse literas, quibus testatum reddere-  
 tur,

Tt 4

Sæc. XVII tur, quod hic Episcoporum testimonia  
A. C. 1627. ac Regularium epistolas exhibuerit, ac  
 declararit, nec se nec ceteros Religio-  
 sos propositiones censura perstrictas un-  
 quam docuisse, vel propugnasse, sed  
 potius eas unacum Parisina Facultate  
 damnare.

## §. XCVIII.

*Laicorum Angliæ Catholicorum de-  
 claratio contra supposititum  
 quemdam libellum.*

*Argente  
 pag. 348.*

Verum hujus contentionis flammæ  
 per ipsamet media, quibus extin-  
 gui creditum, latius serpere, incen-  
 diumque periculosius excitare videban-  
 tur; nonnulli enim, vel ex impruden-  
 tia vel malitia Catholicos Angliæ No-  
 biles, Laicosque in causæ societatem  
 adversus Episcopum Chalcedonensem  
 pertrahere satagebant, hancque in rem  
 mutuato eorum nomine libellum in  
 vulgus fraudulenter sparserunt, sub  
 hac epigraphe: *Declaratio Catholicorum  
 Laicorum Angliæ circa auctoritatem, quam  
 Reverendissimus Chalcedonensis Episcopus in  
 eosdem vindicat: quoniam vero Catho-  
 lici hoc scripto Regis Angliæ odium ac  
 iram in se concitari, haud immerito  
 pertimescerent, hinc Nobiles, nomine  
 omnium Angliæ Catholicorum die tri-  
 gesima*

gesima prima Maij anno hujus sæculi Sæc. XVII.  
 trigesimo primo Regis Gallici & Hi- A. C. 1627.  
 spani Regum Oratoribus Londini scri-  
 ptum exhibuerunt; in quo se invitis &  
 inficis hanc declarationem fuisse edi-  
 tam profitebantur: Erat autem hujus  
 scripti tenor sequens: „Cum paucis  
 „abhinc diebus per diversos, idoneos-  
 „que testes didicerimus, in nos Laicos  
 „Angliæ Catholicos gravem calumniam  
 „spargi, tum domi, tum per varias  
 „ultramarinas Provincias, tanquam  
 „qui authoritatem & jurisdictionem  
 „Episcopalem, non ut probos decet Ca-  
 „tholicos, suscipiamus & revereamur;  
 „idque, ut pro comperto habemus,  
 „nullo alio fundamento, quam quod  
 „prætensam Reverendissimi Chalcedo-  
 „nensis, quam in nos ipse vendicat,  
 „authoritatem & jurisdictionem agno-  
 „scere renuerimus; officii nostri & erga  
 „Deum, & erga nos ipsos esse duximus,  
 „exponere, tum quam graviter eam  
 „calumniam retulerimus, tum quid de  
 „illis, quæ inter Reverendissimum Chal-  
 „cedonensem & nos agitantur, quæ-  
 „stionibus sentiamus. Quem animi no-  
 „stri sensum Excellentissimo Domino  
 „Marchioni de Fontany, Christianissimi  
 „Regis in hac Curia Legato ordinario,  
 „summatim ante indicavimus, & nu-  
 „perrime excellentissimo Domino Ca-  
 „rolo

Tt 5

„rolo

Sæc. XVII. „rolo Coloma, Catholici Regis in hac  
 A. C. 1627. „Curia Legato tum extraordinario,  
 „plenius exposuimus: qui cum disces-  
 „sum ex hoc Regno ante maturasset, &  
 „iam in horas abiret, omnino coacti  
 „fuimus, rem hanc coram eo, nulla  
 „interjecta mora, conficere. Jam vero  
 „benignum Lectorem monitum cupi-  
 „mus, visum nobis esse, eundem ani-  
 „mi nostri sensum, cum primum po-  
 „tuimus, dicto excellentissimo Domino  
 „Marchioni de Fontany, Christianissi-  
 „mi Regis apud Majestatem suam Le-  
 „gato ordinario, cæterisque Catholi-  
 „corum Principum, qui in hac Curia  
 „degunt, Legatis & Agentibus, plene  
 „distingenteque aperire: nonnullique pri-  
 „mæ dignitatis, aliorum multorum ne-  
 „mine, eorum singulis tradiderunt  
 „exemplaria, tum literarum superius  
 „impressarum, quibus Reverendissimi  
 „Chalcedonensis datis ante ad nos liti-  
 „ris respondimus, tum etiam scripti-  
 „cujusdam hic etiam superius impre-  
 „si, quod, abhinc duobus circiter an-  
 „nis, multi primariæ nobilitatis viri,  
 „excellentissimo Domino Chasteauneu-  
 „Christianissimi Regis in hac Aula Le-  
 „gato tunc extraordinario, obtulerunt,  
 „ejus se assertores professi. Ut hac ra-  
 „tione tam Legatis ipsis, quam per  
 „eos toti etiam mundo palam confet-  
 „quan-

„quantam Christiano nostro nomini il-  
 „latam falsis hisce rumoribus injuriam Sæc. XVII.  
A. C. 1627.  
 „existimemus, cujusque etiam num sen-  
 „sus & iudicii simus, de illis quæ inter  
 „Reverendissimum Chalcedonensem &  
 „nos vertuntur quæstionibus, circa præ-  
 „tensam illam, quam in nos vendicat  
 „reverendissima sua Dominatio, autho-  
 „ritatem & jurisdictionem. Quod ut  
 „plenius innotesceret, judicavimus non  
 „expedire duntaxat, sed & necesse esse,  
 „hac qua fecimus ratione mentem no-  
 „stram declarare. Londini, pride Ka-  
 „lendas Martias. Anno Domini mil-  
 „lesimo sexcentesimo trigesimo primo.  
 „Jam semel antea opera Jesuitarum  
 „effectum est, ut Epistola scriberetur uni-  
 „versorum Laicorum Angliæ Catholi-  
 „corum nomine, universalem nostrum  
 „consensum ferens in schisma & factio-  
 „nem ab ipsis imprimis contra Episco-  
 „pum Chalcedonensem excitatam. Cui  
 „fraudi ut obviam iretur, tum nostram  
 „improbationem publicavimus. Qua  
 „non obstante, Jesuitarum causa facta  
 „nunc deteriore, & pene hæretica, ju-  
 „dicio & opinione eminentis Patris Ec-  
 „clesiæ Catholicæ, non erubescunt ean-  
 „dem causam scandali plenam & in-  
 „famix nobis imponere per quamdam  
 „declarationem nostro nomine in eum  
 „finem editam, ad casus fraudem dete-  
 „gen-

Sæc. XVII., gendam, nos (qui particulari nomi-  
 A. C. 1627., num nostrorum subscriptione, si id po-  
 stuletur, parati sumus ut liquido con-  
 stet efficere, nos octo partibus Catho-  
 licorum Laicorum Angliæ numero ipsos  
 superare, & si qualitas & capacitas  
 consideretur, sine exceptione aut com-  
 paratione eminentiorem esse portio-  
 nem) hic ideo publica hac nostra frau-  
 dulentorum istorum artificiorum & do-  
 lorum improbatione, famam nostram  
 & honorem ab ignominiosa labe nati-  
 mis ipsorum causæ vindicamus, pro-  
 testantes contra fraudem & falsitatem  
 dictæ declarationis in modum se-  
 quentem.

„Primum, ubi dicta scriptura in ipso  
 frontispicio ornatur titulo: *omnium An-  
 gliæ Laicorum Catholicorum*, evidenter  
 & clare hic evincemus ex ipsomet li-  
 bello, quod nec libellus, nec causa  
 quam fert, vere ad Catholicos Laicos  
 pertineat, nec ideo bona fide a quo-  
 quam Laico Angliæ Catholico profi-  
 cisci possit; sed esse merum opus Je-  
 suitarum, vel immediate, vel saltem  
 finaliter, quorum solum causam tra-  
 ctat & tuetur, & non causam, quam  
 quisquam Catholicus Laicus ita im-  
 prudens & absurdus nunquam inven-  
 tus fuerit, ut sibi eam sumeret, suam-  
 ve faceret.

„Cui

„Cui rei probandæ observamus, Sæc. XVII.  
 „causam, cujus in dicta relatione fit A. C. 1627.  
 „mentio, eam esse, quæ ibi asseritur  
 „judicata a diversis, qui fori exteri  
 „sunt, qui nullam in nos auctoritatem  
 „habent, magno præjudicio famæ &  
 „honoris declaratorum. Quæ alia caus-  
 „sa hæc esse potest præter eam, quæ a  
 „duobus Jesuitarum libellis in Gallia  
 „notatis censura triginta quatuor Epi-  
 „scoporum & Facultatis Parisiensis Do-  
 „ctorum continetur.,

„Secundo in præfata quoque decla-  
 „ratione dicitur, causam, de qua fit  
 „mentio, esse notatam, eoquod decla-  
 „ratores sese opponant libris, qui par-  
 „tim scripti, partim impressi sunt, ad pro-  
 „bandum, Chalcedonensi Episcopo com-  
 „petere titulum Ordinarii, in quibus  
 „docetur, nos particularem Ecclesiam  
 „non fuisse, quamdiu particulari Epi-  
 „scopo orbatu mansimus, nec perfectos  
 „esse Christianos, quæ duæ assertiones  
 „principaliter sunt impugnatæ in duo-  
 „bus illis Jesuitarum libris Lutetiæ  
 „damnatis.,

„Nec repertus est ullus Laicus ita  
 „indiscretus, ut sibi sumeret tanquam  
 „materiam sibi aptam & convenientem,  
 „ut cum Episcopo disputet, quis sit ve-  
 „rus sensus, & qui sint limites commif-  
 „sionis Episcopo concessæ, vel secun-  
 „dum



Sæc. XVII. „dum Jus Canonicum vel secundum suæ  
 A. C. 1627. „Sanctitatis intentionem. Male dece-  
 „ret Laicos Catholicos Angliæ, putare  
 „sui muneris esse, aut sibi licere supre-  
 „morum suorum Pastorum inscientias  
 „dirigere, aut illos docere Theologiam  
 „& Jus Canonicum, ut intelligere pos-  
 „sint suarum commissionum & faculta-  
 „tum usum; multo minus in disputatio-  
 „nis arenam descendere, scribere, aut  
 „libros de hoc argumento typis impre-  
 „mere, uti isti declaratores se præsti-  
 „tisse affirmant. Declaratores ergo non  
 „sunt Laici Catholici, sed Jesuitæ, quo-  
 „rum libri & scripta huic proposito uni-  
 „de quaque dispersa inveniuntur, in qui-  
 „bus duæ præcipuæ quæstiones hic re-  
 „citæ tantummodo pertractantur.  
 „Tertio in dicta declaratione de-  
 „claratores asserunt se credere Episco-  
 „pum Chalcedonensem esse Episco-  
 „pum Catholicum ab Apostolica Sede  
 „missum, ad eam Cleri Catholici par-  
 „tem regendam, quæ ipsius curæ tra-  
 „dita est, sed non ut sit ipsorum De-  
 „claratorum Ordinarius, aut secundam  
 „ordinariam aut extraordinariam re-  
 „tionem. Hæc verba: *Eam Cleri par-*  
 „*tem, quæ ipsius curæ tradita est, sed non*  
 „*ut sit ipsorum declaratorum Ordinarius,*  
 „inducunt Declaratores non esse Laicos,  
 „sed aliam Cleri partem, ad quam  
 „Epi

„Episcopi auctoritatem sese extendere Sæc. XVII.  
 „negant. Non enim est Laicorum quæ- A. C. 1627.  
 „stio, utrum Episcopi auctoritas por-  
 „rigatur ad Cleri partem, an ad uni-  
 „versum Clerum: hæc Regularium quæ-  
 „stio, non Laicorum. Nec est di-  
 „stinctio *potestatis ordinario & extraor-*  
 „*dinario modo concessæ*, cum sit juris Ca-  
 „nonici distinctio, intra Laicorum Ca-  
 „tholicorum professionis orbitam, sed  
 „ad Theologos pertinet, ideoque ar-  
 „guit Declaratores non Laicos fuisse,  
 „sed Regulares, qui sese volunt ab Epi-  
 „scopi auctoritate exemptos per ipso-  
 „rum privilegia. Hæc privilegia pro-  
 „fecto omnem schismatis causam con-  
 „tra Episcopum fecere, non ulla caus-  
 „sa ad Laicos proprie pertinens, & sic  
 „Jesuitæ in uno damnatorum librorum  
 „inscientes plane fatentur, afirman-  
 „tes, *nihil alio opus esse, ut omnia fiant*  
 „*peccata, nisi ut Religiosi suis permittantur*  
 „*privilegiis gaudere, quo facto universa se-*  
 „*darentur*; quibus verbis dicti Jesuitæ  
 „profitentur, præter solos Religiosos  
 „non esse alios arbitros pacis & belli  
 „in istis cum Episcopo dissidiis, & nul-  
 „lam esse aliam veram contentionis  
 „causam præter ipsorum privilegia. Ista  
 „igitur persecutio non est realis causa,  
 „sed falsus tantummodo & simulatus  
 „prætextus, quo Jesuitæ causam suam  
 „in-

Sæc. XVII. „infucata Laicorum autoritate contē-  
 A. C. 1627. „gunt, si ipsos istiusmodi fallis terrori-  
 „bus fallere & decipere possint. „

„Hinc vidimus, qui sint veri decla-  
 „rationis authores, & quid hi per  
 „nos venentur, nimirum ut pulverem  
 „ex suis vestibibus in nostras excutiant.  
 „Nunc sequitur, ut detegamus & in-  
 „dicemus particulares injurias nobis  
 „factas hac fraude; quo manifestato,  
 „si quis Laicus lubens se patiat de-  
 „cipi, & suam velit famam, fidem &  
 „bona consecrare sustinendæ tam infā-  
 „mi Jesuitarum causæ, cum nostram  
 „hac in præmonitione charitatem ex-  
 „presserimus, suæ eum optioni relin-  
 „quemus. „

„Primum suâ in ista declaratione le-  
 „suitæ nos universo Christiano orbi  
 „proclamarunt non solum reos, sed e-  
 „tiam solos authores odiosæ illius re-  
 „sistentiæ factæ contra duorum præci-  
 „puorum Religionis Christianæ bene-  
 „ficiorum conservationem, & eorum  
 „praxim ac usum hoc in Regno, vide-  
 „licet Episcopalis regiminis, & Sacra-  
 „menti Confirmationis. Quæ resiste-  
 „tia tanta fuit ex Jesuitarum parte,  
 „ac si fuisset contra duas maximas in  
 „mundo hæreses. Et quamvis Jesuitæ  
 „hac in declaratione protestentur suum  
 „desiderium ista beneficia habendi, nisi  
 „per-

„persecutionis periculum impediret, in Sæc. XVII.  
 „suo tamen libro inscripto: *modesta di-* A. C. 1627.  
 „*scussio*, fatentur, ut ante indicavimus,  
 „non persecutionem, sed ipsorum pri-  
 „vilegia solam esse causam contradic-  
 „tionis & resistantiæ; cum quibus privi-  
 „legiis dicta beneficia pacatæ Religio-  
 „nis quam persecutionis temporibus mi-  
 „nus cohærent. Et orbem Christianum  
 „certo scire necesse est, Jesuitas in suis  
 „conscientiis intelligere, sua privilegia  
 „esse solam causam, proindeque hanc  
 „ipsorum protestationem esse contra e-  
 „videntem veritatem, propria ipsorum  
 „facta, atque conscientiam propriam;  
 „res ita quidem frequens & usitata in  
 „jesuitarum Anglorum protestationibus,  
 „ratione continuarum æquivocationum,  
 „ut parum fidei ipsorum hodie prote-  
 „stationes inveniant apud eos, qui ipsos  
 „norunt.„

„Secundo nos proclamarunt Autho-  
 „res quoque, aut saltem fautores duo-  
 „rum illorum librorum, qui a Jesuitis  
 „in ignominiam & contemptum duo-  
 „rum illorum beneficiorum Catholico-  
 „rum compositi sunt, in quibus libris,  
 „secundum dictorum Episcoporum &  
 „Doctorum censuram, hæreses multæ  
 „ad Hierarchiæ Ecclesiasticæ subver-  
 „sionem tendentes sustinentur.„

Sæc. XVII. „Tertio nos mundo exhibuerunt  
A. C. 1627. „tamquam exemplar Laicis & ovibus,  
 „ut non solum sibi vendicent jus impro-  
 „bandi & rejiciendi pro libito suorum  
 „Pastorum auctoritatem, sed etiam ut  
 „præsumant, melius ipsis intelligere ni-  
 „turam & limites auctoritatis, con-  
 „missionis, atque facultatum ipsis con-  
 „cessarum, atque adeo ut disputent,  
 „& pro suo, non ipsorum arbitrio abro-  
 „gent, quam in ipsos vendicant aucto-  
 „ritatem. „

„Quarto in hac sua declaratione fini-  
 „gunt nos exclamare ad universos Chri-  
 „stianos Principes contra ingentem per-  
 „secutionis atrocitatem, qua a Maje-  
 „state Regis nostri hic in Anglia afflige-  
 „remur, tanquam ea major esset, quam  
 „ullo unquam præterito tempore, &  
 „ita intolerabilis, ut nihil præter præ-  
 „sentem perniciem & extinctionem sine  
 „moderationis spe aut præventionis se-  
 „qui necesse sit, si unum habeamus  
 „Cleri & Laicorum Superiorem; cum  
 „revera licet nunc unusquisque Ordo  
 „particularis Regularium suum Superi-  
 „riorem nactus sit, & nos nihil obli-  
 „tibus legibus in Sacerdotes latis mu-  
 „titudinem ipsorum habeamus, suæ Ma-  
 „jestatis clementia talis est (Deo  
 „gratias agimus) ut non minorem no-  
 „bis causam præbeat, gratiorum anti-  
 „mo

„morum affectum ipsi ob misericordiam Sæc. XVII.  
 „exprimendi, quam olim Serenissimo A. C. 1627.  
 „Regi ipsius Patri. At vero si Episco-  
 „pus habendus sit ad Cleri & Laico-  
 „rum comprimendam libertatem, &  
 „ad eundem obviam istiusmodi malis,  
 „quale est pessimum istud schisma, &  
 „alia Jesuitarum Anglorum facinora,  
 „ob quæ Catholica caussa, & Ecclesia  
 „Anglicana passa est, & probabile est  
 „passuram majora damna, quam ob ul-  
 „lam aliam inconvenientiam usquam a  
 „Catholicis caussatam; num forte contra  
 „Majestatis suæ crudelitatem claman-  
 „dum est, & ejus persecutio universis  
 „Christianis Principibus sub nostris no-  
 „minibus exhibenda edito typis libello,  
 „quo nimirum Majestati suæ & statui  
 „reddamur odiosi, atque merito acer-  
 „biorem in nos persecutionem conci-  
 „temus?

„Quinto isti Declaratores statui lu-  
 „culentam & expressam informationem  
 „dederunt, qua legis periculo exponimur  
 „appellando nostro nomine ad Sedem  
 „Apostolicam, ut sententiam dicat ista  
 „in controversia, quod majori persecu-  
 „tionis periculo nos objicit, quam ulla  
 „particularis Episcopum habendi cir-  
 „cumstantia potuit. Illi tamen chari-  
 „tate pleni homines volunt videri, tan-  
 „topere nostra persecutione moveri &  
 „angi,

Sæc. XVII. „angi, ut universam Dei Ecclesiam schis-  
 A. C. 1627. „mate & factionibus scindere potius  
 „malint, & ipsam fidem Catholicam  
 „Episcopali autoritate, & uno Sacra-  
 „mentorū minuere, quam nos expo-  
 „nere indicibili periculo imaginariæ &  
 „aëreæ persecutionis, quam ubi ut-  
 „gentur, ita assignare nequeunt, ut  
 „audeant in discussionem illius venire,  
 „sed solum grandibus & generalibus vo-  
 „cibus crudelitatis, persecutionis, dif-  
 „ficultatum cum opprobrio lenitatis Re-  
 „giæ & sine veritate aut fundamento  
 „ullo exclamant.„

„Ad nos itaque liberandos ab om-  
 „nibus istiusmodi notis & incommodis,  
 „sic injuste nobis insciis & in contem-  
 „ptum nostræ prioris improbationis delo-  
 „Jesuitarum nobis impositis, per hanc  
 „secundam nostram improbationem uni-  
 „verso orbi profiteamur, nos rejicere &  
 „damnare hanc ipsorum fraudulentam  
 „declarationem, falso publicatam nostro  
 „nomine, exclamantes contra ipsorum  
 „fraudes injustas, & præjudicium nobis  
 „per eos illatum; & cupimus, atque  
 „rogamus universum orbem, ut hanc  
 „de nobis, quam nostro sanguine con-  
 „firmabimus, opinionem retineat, esse  
 „nos semper vere morigeros & obe-  
 „dientes Matri nostræ Ecclesiæ Catho-  
 „licæ filios, obsequentes oves Pastori-  
 „bus

„bus nostris, nec præsumentes, aut Sæc. XVII.  
 „altercantes, aut contendentes cum ipsis A. C. 1627.  
 „circa ipsorum facultates, commissio-  
 „nem aut authoritatem in nos; esse  
 „quoque dum vivimus fideles & aman-  
 „tes subditos suæ Majestati, agnoscen-  
 „tes ipsius clementiam, non que-  
 „rentes de ipsius in nos crudelitate;  
 „& ex animo omnino abjuramus & re-  
 „nuntiamus omnibus Jesuitarum decla-  
 „rationibus in contrarium. Et istud  
 „protestamur, non ut sunt soliti Jesuitæ  
 „protestari suam erga Episcopalem au-  
 „thoritatem reverentiam, probatam  
 „claris ipsorum factis & confessionibus  
 „falsam; sed vocibus, quæ sicuti ha-  
 „ctenus semper, ita in posterum coram  
 „Deo & hominibus innocentiam profes-  
 „sionum nostrarum, & sinceritatem ar-  
 „guent. Et pro Catastrophe hujus no-  
 „stræ communis improbationis universi  
 „uno corde & voce Deum precamur,  
 „ut divinæ suæ Majestati placeat sum-  
 „mum Pontificem movere, quatenus Je-  
 „suitas ex Anglia avocet, experimentis  
 „deplorabilibus docti, nunquam aliter fu-  
 „turam veram inter nos pacem & con-  
 „cordiam.

„Cum nos Regni hujus Angliæ Ca-  
 „tholici Laici partim pro certo intelle-  
 „xerimus, partim vero oculis nostris  
 „conspexerimus, declarationem quam-

Uu 3

„dam



Sæc. XVII.  
A. C. 1627

„dam nomine nostro typis editam, sub  
„hoc conficto titulo: *Declaratio Catho-*  
„*licorum Laicorum Angliæ &c.* in qua  
„continentur plurima non solum falsa  
„nobisque injuriosa, verum etiam in-  
„summam fortunarum nostrarum dam-  
„num vergentia; cumque ea sine nostro  
„prorsus consensu, nedum notitia in-  
„luce prodierit, adeo ut vix ulli in-  
„veniantur, qui palam agnoscant, &  
„aliquid de præfata declaratione inte-  
„lexisse ante ejus publicationem: rari-  
„simi vero, qui postquam excusa fuerit,  
„eam approbent. Hinc est quod nos  
„Catholici Laici Angliæ, percepta inde  
„insigni injuria, & præviso periculo ca-  
„pitibus nostris exinde impendente,  
„dictam declarationem penitus abnega-  
„mus, ac rejicimus, tanquam indi-  
„gnam nobis Catholicis, vel etiam  
„bonis subditis, aut denique juris pro-  
„dentibus. „

„Insuper protestamur, nos nihil pro-  
„fus rescivisse sive de accessu quorum-  
„dam ad tres illos Oratores Principum,  
„qui in dicta declaratione exprimuntur,  
„sive de propositione ab ipsis facta quo-  
„rumdam rationum aliarumve fugge-  
„stionum; quæ singula ita absque no-  
„stro consensu, & insciis nobis peracta  
„sunt, ut nobis quodam modo ignote  
„omnino essent hujusmodi machinatio-  
„nes.

„nes, quoadusque impressas perspexif- Sæc. XVII.  
 „semus, aut audivissemus; a quibus A. C. 1627.  
 „idcirco perinde ac ab ipforum decla-  
 „ratione penitus abhorremus; præsen-  
 „tibus hisce notum facientes, prædi-  
 „ctos illos nominibus nostris in præfa-  
 „tis omnibus insigniter abusos fuisse,  
 „cum revera illorum consiliis nec con-  
 „senserimus, nec eorundem ullatenus  
 „participes fuerimus. Atque ad hoc  
 „præstandum teneri nos ex munere no-  
 „stro existimamus, quod tum Deo, san-  
 „ctæque ejus Ecclesiæ, tum Clemen-  
 „tissimo Regi ac patriæ nostræ debé-  
 „mus, ut vel inde omnibus innotescat,  
 „quam alieni simus a machinationibus  
 „quibuscunque seu domi seu foris, quæ  
 „vel Regi offensionem parere, vel com-  
 „munem pacem perturbare possent,  
 „qua sub auspiciatissimo ejus imperio  
 „perfruimur. „

„Nos infra scripti, inquisitione fa-  
 „cta per omnes Angliæ plagas compe-  
 „rimus hunc esse communem sensum  
 „Catholicorum Laicorum Angliæ, id-  
 „que testamur nominum nostrorum sub-  
 „scriptione, & sigillorum appositione.  
 „Actum Londini die trigesima prima  
 „Martii Anno ab Incarnatione Domi-  
 „nica millesimo sexcentesimo triges-  
 „imo primo. „

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

§. XCIX.

*Epistola Cleri Dublinensis gratulatoria ad Facultatem Parisinam.*

Postquam Clericis Dublini degentibus, qui Religiosorum propositiones denuntiaverant, innotuit, quod censura a Facultate pronuntiata, insuper habitis horum postulatis minime revocata fuerit, eorum quidam numero septemdecim, pro hoc Facultatis favore gratias rependerunt, data ad eam hac epistola: „Cum non ita pridem ex Hibernia undecim propositiones exhibitæ vobis fuerint, Viri Sapientissimi, examinandæ a quatuor Sacerdotibus nationis Hiberniæ viris longe integerrimis; iique fidem fecerint dictas propositiones apud Hibernos a quibusdam Regularibus passim defendi & publicari tam in concionibus & familiaribus sermone, quam disputationibus: Nos Presbyteri & Pastores urbis Dublinensis (quæ metropolis est Regni Hibernici) contestamur prædictis Sacerdotibus & Fratribus nostris in Christo plurimum honorandis, illos apud vos testimonium bonum, fidele, & ex omni parte veritati consentaneum dixisse: quidquid in contrarium loquatur, aut scribant Regulares Contem-

„ranei nostri propositionum earundem Sæc. XVII.  
 „Authores & Assertores: atque ita se A. C. 1627.  
 „rem habere coram Deo, Angelis &  
 „hominibus sanctissime affirmamus.  
 „Vobis interim pro vestra optima cen-  
 „sura, pioque simul officio gratias ha-  
 „bemus, quantas possumus maximas,  
 „quod nobis compatientes, & una in-  
 „gemiscentes vexationibus nostræ Hi-  
 „bernæ, quam hinc apertis infestam  
 „persecutionibus Calvinistæ premunt,  
 „illinc alii pravorum dogmatum fauto-  
 „res Wiclefistæ dilacerant, consilio &  
 „authoritate vestra succurristis: imo  
 „morbum gliscentem oppressistis, vel  
 „certe tam opportunum adhibuistis re-  
 „medium, ut minus ingravescat, dum  
 „filios Babylonis parvulos corripere, &  
 „ad petram, antequam adolescerent,  
 „non dubitastis allidere.„

„Deus pacis & Dilectionis centu-  
 „plum rependat in sinum vestrum pro-  
 „pter beneficia, quæ in nos tanta uber-  
 „tate charitatis effundere voluistis, &  
 „labores, quos pro Ecclesia sustinulistis  
 „supra omne meritum & mensuram pro  
 „sua piissima misericordia remuneret  
 „vobis. Datum Dublini in Hibernia  
 „die vigesima octava Septembris anno  
 „Domini millesimo sexcentesimo trige-  
 „simo primo.„

Uu 9

S. C.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

§. C.

*Facultatis Parisinæ censura propositionum in libro Nicolai Smithei contentarum.*

*Argente  
pag. 326.*

Interim vero liber Nicolai Smithei, seu verius Wilsoni contra Kellionum editus apud Parisiensem Archiepiscopum denunciabatur, qui etiam propositiones ibidem contentas die trigesima Januarii censuris perstrinxit, hujusque libri usum edito diplomate die trigesima Januarii anno hujus sæculi trigesimo primo inhibuit. Sequenti Mense Galliarum Antistites tum Parisienses agentes ad omnes Franciæ Præsules episcopalam Encyclicam scripsere, in qua horum librorum Anglicorum censuram promulgabant: postea Facultas Parisina selectis Doctoribus ex præfato libro propositiones censura dignas excerpenti negotium dedit, ac post iteratum & maturum examen censuras ab eisdem Doctoribus latas unanimi consensu ratas habuit, easque mox typis editæ præcepit, ut pro antiqua sacri Ordinis fide, studio, & vigilantia, intentione tam Ecclesiæ Catholicæ perniciem, & Ordinis Hierarchici (quo uno Ecclesiæ stat) subversionem, Deo adjuvante, amoliat, labefactatam his factibus

„bus abortivis sanctæ Sedis Apostolicæ Sæc. XVII.  
 „authoritatem, totius Episcoporum or- A. C. 1627.  
 „dinis ac Pastorum Ecclesiæ dignitatem  
 „vindictet; eorumque, qui in Cleris præ-  
 „ter jus & æquum dominari volunt,  
 „effrænem ambitum compescat; hono-  
 „rem & gradum sibi præpostere assu-  
 „mentes in ordinem redigat; erumpen-  
 „tem schismatum radicem evellat; er-  
 „rores, imo & hæreses detestandas,  
 „quæ specie pietatis obtruduntur, præ-  
 „locet; præstigijs, quibus populi Chri-  
 „stiani simplicitati illuditur, dispellat;  
 „profanas novitates comprimat; paci  
 „atque unitati fidelium consulat; de-  
 „nique veram atque sinceram Ecclesiæ  
 „Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ  
 „doctrinam, uti semper fecit, adstruat,  
 „defendat, tueatur.,

Sequens insuper monitum ad Le-  
 ctorem præmisit: *ne cui sorte mirum aut  
 insolitum videatur, quod in censura prio-  
 ris hujus Libri notatæ propositiones in va-  
 rios sensus, quos poterant pati, distractæ  
 fuerint, sciat Lector, id necessitate cogente  
 ita fieri oportuisse propter versipelle Autho-  
 ris ingenium, & stylum æquivocationibus  
 undequaque scatentem, nequid superesset,  
 quod incautis Lectoribus offendiculum pone-  
 ret. Ut quamvis ex toto operis contextu  
 malus animus scopusque Scriptoris plus sa-  
 tis imotescat, constaret etiam omnibus per-  
 versam*

Sæc. XVII. *versam doctrinam, quæ hic seritur, nullo  
A. C. 1627. artificio dissimulari, nec ullis ambagibus  
intricari ita potuisse, quin justæ reprehensionis  
semper fieret obnoxia, quacumque veri  
specie aut interpretatione velaretur, ut vel  
in hac parte sua stet oraculo Divino fidei,  
Mentita est iniquitas sibi.*

Porro excerptæ propositiones, earumque censuræ erant sequentes. I.  
„Verum est, fuisse Sacramentum Confirmationis institutum ad dandam gratiam pro fide profitenda: & S. Thomas docet, hominem per illud recipere augmentum & incrementum.  
„Quod tamen ita intelligi non potest, ac si hoc Sacramentum esset unicum medium ad obtinendum ejusmodi augmentum, quia per alia Sacramenta, & ordinaria Dei auxilia, possumus recipere effectum ejusdem gratiæ a Deo communicatæ, junctâ cooperatione liberi hominis arbitrii, sicuti Apostoli in Pentecoste, cum extraordinaria mensura Spiritum Sanctum receperunt absque Sacramento Confirmationis, rem Sacramenti sine Sacramento.”

*Censura.* „Hæc propositio est æquivoca & fallax propter particulas (ordinaria & effectum ejusdem gratiæ) re-latas ad verba illa (ad profitendam fidem) & eo sensu est falsa, quo mediis ordinariis”

ordinariis, id est communibus & quod-  
 tidianis, augmenti illius spiritualis,  
 quod Sacramento Confirmationis pro-  
 prium est, productionem adscribit.  
 Fallax item propter comparationem  
 mediorum ordinariorum aliorum a  
 Confirmatione cum missione visibili  
 Spiritus Sancti, Act. 1. & 2. quæ Sa-  
 cramentum Confirmationis signifi-  
 cat, illiusque effectum extraordinarie  
 conferebat.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1627.

II. „Nec auxilia actualia, nec mi-  
 nores gratiæ necessario sunt ita alli-  
 gatæ uni Sacramento, ut non possint  
 similiter tribui per & propter susceptio-  
 nem alterius.

*Censura.* „Hæc propositio est ambi-  
 gua propter particulas (*similiter & pro-  
 pter*) quibus proprii Sacramentorum  
 effectus, operandi modi & fines vi-  
 dentur confundi; eoque sensu falsa est,  
 temeraria & erronea.

III. „Status religiosus consideratis  
 securis mediis, quæ habet ad perpe-  
 tuum augmentum in gratia per con-  
 tinua merita bonorum operum, & per  
 frequentem receptionem aliorum Sa-  
 cramentorum, non minus fortem red-  
 dit hominem, ne in persecutione de-  
 ficiat, quam sola receptio Confirma-  
 tionis communiter censerit potest for-  
 tem reddere populum inter continua  
 peri-



Sæc. XVII. „pericula & distractiones in mundo  
A. C. 1627. „degentem. „

Censura. „Hæc propositio, in quan-  
tum continet comparationem, & in-  
ducere videtur paritatem status Reli-  
giosi & Sacramenti Confirmationis ad  
fortem reddendum in persecutione ho-  
minem, falsa est & temeraria. In  
quantum vero ait, statum religiosum  
habere secunda media, &c. Si intel-  
ligatur, quasi media, quæ ibi referun-  
tur, soli statui religioso sint propria,  
est hæretica. Item si intelligatur esse  
proprie dicta securitas in status reli-  
giosi professione ad bonum usum Sa-  
cramentorum, & continuationem bo-  
norum operum, quasi homines in eo  
statu deficere nequeant, eo quoque  
sensu est hæretica. „

IV. „Fuit aliquando persecutio in  
nos gravissima, & tamen faxit Deus,  
quod nunc possemus cernere Zelum,  
fervorem, charitatem & constantiam,  
quam eo tempore Catholici ostendi-  
runt absque Sacramento Confirma-  
tionis. Non judico temerarium affir-  
mare, a quo Anglia Episcopo gavia  
est, plus damni Catholicis in Generali  
Charitatis amissione, quam habuerunt  
commodi per solum Sacramen-  
tum Confirmationis collatum; & quod

„ex hisce discordiis plures subierunt pe- Sæc. XVII.  
 „riculum labendi, quam ex defectu A.C. 1627.  
 „dicti Sacramenti,„

*Censura.* „Hæc propositio est piarum  
 „aurium offensiva, & vergit in con-  
 „temptum Sacramenti Confirmationis.

V. „Si affirmarem, quod plures ex-  
 „poni possent periculo labendi ex aug-  
 „mento persecutionis a seipsis volunta-  
 „rie causatæ, quam ex defectu Con-  
 „firmationis, & quod propterea Catho-  
 „lici non possent salva conscientia Epi-  
 „scopum admittere ob solam Confir-  
 „mationem (supposito, sicut in præ-  
 „senti supponimus, quod persecutio ea  
 „occasione ingravesceret) quomodo  
 „posset præfatus Doctor demonstrare  
 „conjecturam meam & argumentum  
 „non esse æque validum, aut magis  
 „valere quam suum? Novimus enim  
 „in persecutione aliquos lapsos esse, sed  
 „non possumus scire, quod lapsi sint ex  
 „defectu Confirmationis,„

*Censura.* „Hæc propositio, & ejus  
 „hypothesis, fallax est, continetque  
 „Doctrinam falsam, temerariam, & an-  
 „tiquæ Ecclesiæ praxi contrariam, in  
 „quantum inducit tanquam probabilem  
 „opinionem, quod Catholici non pos-  
 „sint salva Conscientia admittere Epi-  
 „scopum ob solam Confirmationem,  
 „supposito, quod ex admissione Episcopi  
 „per-

Sæc. XVII. „persecutio ingravesceret. Quæ Do-  
A. C. 1627. „ctrina insuper summi Pontificis mit-  
 „tentis authoritati ac prudentiæ dero-  
 „gat. „

VI. „Idem Doctor non debet do-  
 „ctrinam adeo difficilem fundare super  
 „Epistolam, quam ut suppono, ipse  
 „met, novit non esse adeo authenticam,  
 „ut super eam fundari possit punctum  
 „doctrinale. „

*Censura.* „Hæc propositio est teme-  
 „raria, in quantum doctrinam diffici-  
 „lem (creditum nimirum) vocat, quæ  
 „Conciliorum authoritate & Patrum  
 „consensione roboratur. „

VII. „Ex quibus omnibus evidens  
 „est, quod non esse perfectum Christia-  
 „num in eo sensu (scilicet quem inten-  
 „dit sanctus Clemens) non sit res adeo  
 „terribilis, ac verba sonare videntur,  
 „priusquam distincte, & in vero sensu  
 „explicentur. „

*Censura.* „Hæc propositio falsa est,  
 „scandalosa, & Sacramento Confir-  
 „mationis a Christo instituto injuriosa,  
 „quatenus rem minime pravam, & ter-  
 „ribilem videtur asserere carentiam per-  
 „fectionis, quæ ab ipso Sacramento  
 „confertur. „

„Denique tota quæstio de Sacra-  
 „mento Confirmationis periculosa est,  
 „avertitque fidelem populum a deli-  
 „derio.

„derio, susceptione, & reverentia ejus- Sær. XVII.  
 „dem Sacramenti: & prætextu non A.C. 1627.  
 „necessitatis subdole illud inutile esse  
 „insinuat, quidquid in contrarium Au-  
 „thor protestetur: cum tamen sit uni-  
 „cum medium specialiter institutum a  
 „Christo ad conferendum ex opere ope-  
 „rato, & per se jus propriam ad auxi-  
 „lia & robur speciale ad fidei professio-  
 „nem: vixque Author excusari potest  
 „a dolo, quod nullam Characteris Con-  
 „firmationis christianum perficientis  
 „toto tractatu fecerit mentionem &  
 „quod Sanctorum Patrum autoritates,  
 „quæ pro effectibus Confirmationis pro-  
 „feruntur, falsa interdum negatione e-  
 „ludat. „

*De Statu Episcoporum, Curatorum,  
 & Regularium.*

*Ex Quæstione quinta. Numero  
 tertio & seqq.*

I. Negari non debet, hominem facientem  
 opera aliorum perfectiva, actiones de se præ-  
 stare meritorias, & de se perfectivas ope-  
 rantis: nihilominus nisi etiam fiant cum  
 perfectione (quod contingere non potest, nisi  
 homo aliunde perfectus sit) magis apta sunt  
 nocere quam juvare, ratione magnarum im-  
 perfectionum, & variorum periculorum;  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Xx qui-*

Sæc. XVII. quibus ex mala executione tam nobilium  
 A. C. 1627. actionum homo ipse obnoxius est.

Censura. Hæc propositio multiplici,  
 & affectata æquivocatione laborat, sub  
 qua multi latent errores. 1. Intelle-  
 cta de omnibus actionibus perfectivis  
 aliorum per comparisonem ad susci-  
 pientes, quasi sint suscipientibus noci-  
 væ potius quam proficivæ, nisi a per-  
 fectis procedant, est hæretica. 2. In-  
 tellecra de iisdem actionibus per com-  
 parationem ad ipsum operantem, qua-  
 tenus generatim de omnibus loquitur,  
 & quatenus dicit, eas magis aptas esse  
 nocere, quam juvare, & sic actionibus  
 ex se bonis attribuit noxamentum,  
 quod solis hominum vitiis debet attri-  
 bui, adhuc falsa est, temeraria, ver-  
 bo Dei contraria, quidquid addat de  
 imperfectionibus, & periculis, quibus  
 homo est obnoxius. 3. Quatenus aut  
 perfectionem necessariam istis actioni-  
 bus, ne noceant sive operanti, sive  
 suscipientibus, non posse ab aliis pro-  
 ficisci, quam a perfectis, etiam falsa  
 est, temeraria, erronea, destruitque  
 merita incipientium & proficientium.  
 4. Quatenus asserit actiones istas non  
 posse fieri cum perfectione, nisi homo  
 aliunde perfectus sit, innuens perfe-  
 ctionem istarum actionum & hominum,  
 a quibus fiunt, necessario petendam  
 esse

esse ab alio statu, & non posse haberi Sæc. XVII. A. C. 1627.  
 per media proportionata proprio statui unicuique etiam Episcopali, falsa quoque est, temeraria, erronea & hæresin sapit: negans in quolibet statu esse gratiam sufficientem ad functiones cum utilitate, & merito perficiendas.

II. *Hinc fuit, quod omnes viri Sancti adeo conati sint tam altam dignitatem declinare.*

*Censura.* Hæc propositio ratione particulæ (omnes) est falsa, Apostolis, & multis viris Sanctis injuriosa.

III. *Licet Episcopus sæcularis sit tantum in statu alios perficiendi, tamen Episcopus regularis est in statu seipsum perficiendi, & alios.*

*Censura.* Hæc propositio, quatenus denegat Episcopo Sæculari statum perfectivum ipsius, falsa est, temeraria, verbo Dei contraria, & dignitati status Episcopalis derogat.

IV. *Illi Religiosi, qui de instituto suo præter perfectionem propriam incumbunt etiam proximis juvandis, sunt in statu tum seipsum tum alios perficiendi, & paulopost: ejusmodi Religiosi non solum in quantum attendunt propriæ salutis, verum etiam prout profitentur alios juvare, sunt proprie in statu, quia perpetuo obligantur operibus utriusque generis; & in quantum mittuntur*

Sæc. XVII. *tur ad proximos juvandos, hoc respectu*  
 A. C. 1627. *excellunt curatos sæculares.*

*Censura.* Utraque propositio in quantum asserit Religiosos, qui ex instituto suo incumbunt proximis juvandis, esse in statu alios perficiendi, & ut proferentur alios juvare, esse proprie in statu utique perficiendi alios, nova est, falsa, temeraria, & in errorem inducens, callideque potestatem perficiendi ordinariam, quæ soli Pastorum statui competit, in istiusmodi Religiosorum statum transferens, & in quantum subiungitur, istos Religiosos eo respectu excellere curatos sæculares, falsa est, præsumptuosa, veris & ordinariis Pastoribus injuriosa.

V. *Differunt etiam iidem Religiosi ab Episcopo regulari: quia esse regularem episcopo accidens respectu status Episcopali: sed ipsamet vota istorum Religiosorum, quorum proprium institutum est, tum seipsos, tum alios perficere, penitus cessant, ad propriam tantummodo perfectionem restringerentur.*

*Censura.* Hæc propositio, quoad priorem partem oblique simplices Religiosos ex instituto suo obligatos ad alios juvandos, Episcopis regularibus in statu perficiendi alios anteponebat, nova est, temeraria, scandalosa, & Divinæ ordinationi injuriosa: quoad posteriori

steriorem vero partem, falsa est, te- Sæc. XVII.  
meraria, scandalosa, Apostasiæ janua A. C. 1627.  
aperiens, istis Religiosis infringendo-  
rum votorum, & reluctanti Pastoribus  
occasionem tribuens, & summi Ponti-  
ficis libere mittendi authoritatem te-  
mere coarctans.

VI. *Est ergo Episcopus in statu, qui  
præsupponit, sed non tribuit perfectionem,  
quam status Religiosus non præsupponit, sed  
tribuit.*

*Censura.* Hæc propositio, quatenus  
denegat quamcunque perfectionem E-  
piscopi perfectivam, quæ ab ipsius sta-  
tu ei tribuatur, falsa est, temeraria,  
verbo Dei contraria, & dignitati status  
Episcopalis derogat.

VII. *Votum non acceptandi Episcopa-  
tum, est validum & Sanctum: votum non  
ingrediendi Religionem, est impium & nul-  
lius valoris.*

*Censura.* Hæc propositio quoad prio-  
rem partem est ambigua, & quatenus  
extenditur ad recusationem Episcopatus  
tam impositi quam oblati, tam urgente  
quam cessante necessitate, est falsa te-  
meraria, & statui Episcopali contu-  
meliosa.

VIII. *Quod declaravit Papa de eo, qui  
votum susceperat de religione ingredienda,  
potest cum proportione applicari ad pro-  
positum seu vocationem ad ejusmodi statum,*

Xx 3 cui



Sæc. XVII. cui non satisfit coram Deo per alium vitam  
A. C. 1677. cursum, licet vocatio esset altior.

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, præsumptuose asserta, & erronea, in quantum videtur inducere obligationem ad statum religiosum ex solo proposito seu vocatione ad ipsum, non obstante alia altiori vocatione.

IX. *Desiderare Episcopatum etiam pro eo, quod in eo optimum est, nimirum pro bono animarum secundum sanctum Thomam. 2. 2. qu. 185. articulo 1. videtur præsumptio, & non desunt, qui dicant communiter esse peccatum mortale.*

*Censura.* Hæc propositio, ut jacet, est falsa, temeraria, verbo Dei contraria, & imponit S. Thomæ.

X. *Votum religionis impleri possit per acceptationem Episcopatus, si Episcopum esse, melius omnino esset.*

*Censura.* Hæc propositio est falsa, & absurda, quatenus innuit statum Episcopalem non esse omnino meliorem statu religioso contra communem Patrum Sententiam.

XI. *Quod ad me spectat, mallem curere quacunque perfectione, in qua Episcopus antecellere possit religiosum, quam esse in statu, qui non requirat ex natura & sententia sua castitatem, sicuti status Episcopalis non requirit, cum tamen status religiosus necessario, & essentialiter Angelicam ipsam perfectionem includat.*

*Censura.* Imprudens electio, & ma- Sæc. XVII.  
 ligne proposita, qua minus bonum præ- A. C. 1627.  
 fertur majori, & Castitatis observan-  
 tia præfertur omnibus simul perfectio-  
 nibus status Episcopalis, e quarum nu-  
 mero est eminentissima charitas, & in-  
 epte unius status Castitas Castitati al-  
 terius anteponitur, licet revera utri-  
 que status annexa sit specialis quædam  
 Castitas.

XII. *Dictum erat egregium cujusdam  
 famosi concionatoris, quod homines in ele-  
 ctione status Episcopalis apti sint quædam  
 considerare, quæ cito evanescerent, si aliam  
 inirent rationem, & sedulo ponderarent,  
 pro quot animabus rationem reddere tenen-  
 tur, & forte viderent, quod etiam in opu-  
 lento Episcopatu oppignorent animam suam  
 pro tot aliorum, ut pro singulis vix acci-  
 piant in stipendium medium florenum per  
 annum, & inferiores Pastores vix duos  
 Carolos pro qualibet anima curæ suæ  
 commissa.*

*Censura.* Scurrile & profanum di-  
 ctum homine Christiano indignum in  
 omnium Pastorum Ecclesiæ contume-  
 liam, & contemptum.

XIII. *Perfectio Episcopi consistit in eo,  
 quod ex officio suo obligetur alios illumi-  
 nare, & animam suam pro grege ponere,  
 si occasio requirat, quæ raro accidit. Ad  
 hæc duo Episcopus adstringitur ex justitia,*

X x 4

ratio-

Sæc. XVII. A. C. 1627 *ratione sustentationis, & honoris illi a grege præstiti, vel ex virtute fidelitatis respectu pacti cujusdam impliciti, quo sese obligat, quando consecratur. At Religiosi ex vera charitate, vel religione, virtutibus melioribus iustitia, aut fidelitate alios illuminant, & vitam pro salute animarum periculis exponunt.*

*Censura.* *Ista propositio, in quantum omittit plures Episcopalis status operationes perfectivas, subdola est & fallax. 2. In quantum perfectionem status Episcopalis ponit in obligatione, quæ potius sita est in continua præparatione animi ad pericula mortemque ipsam pro ovibus subeundam, & in maxima charitate, adhuc fallax est, maligna & falsa. 3. In quantum occasionem ponendi animam suam pro ovibus raro accidere subjungit, maligna est & falsa. 4. In quantum videtur asserere Episcopum ad sua munia adstrictum tantum ratione Sustentationis & honoris &c. falsa est, scandalosa, temeraria, & erronea. 5. Quatenus supponit vel Episcopum non agere ex virtute charitatis & religionis, vel episcopus, quod sit ex sola charitate nobilius esse, eo quod sit ex charitate cum aliis virtutibus: ratione prioris lenius est falsa, contumeliosa, scandalosa, & temeraria, ratione posterioris est etiam falsa.*

falsa, temeraria, erronea, & falso sup- Sæc. XVII.  
ponit religiosos nihil accipere a populo. A. C. 1627.

XIV. Audeo affirmare illos fore Con-  
filiarios intempestivos, si qui proponerent  
nescio quam Parochiarum, & Parochorum  
institutionem, unde nihil aliud hisce tempo-  
ribus lucrifieri posset, quam mutatio Cha-  
ritatis in inferiorem aliquam virtutem, &  
amissio illius gloriæ a Christo Domino Apo-  
stolis commendatæ, gratis accepistis, gra-  
tis date: ut nihil dicam de stricta obliga-  
tione, cui adstringerentur, si essent curati,  
propter tam miserum stipendium, ut supra  
notavi.

Censura. Hæc propositio est falsa,  
scandalosa, veteri Parochiarum insti-  
tutioni injuriosa, & in quantum ait per  
institutionem Parochorum, charitatem  
mutari in aliquam inferiorem virtutem,  
hoc est, deperdi, simulque etiam amit-  
ti illam gloriam, quam Christus Do-  
minus Apostolis per hæc verba (*gratis  
accepistis, gratis date*) commendavit:  
& consequenter negare videtur, Apo-  
stolos habuisse jus ad stipendia accipien-  
da, aut eo jure unquam usos fuisse;  
& regulares, seu quicumque mittuntur,  
nec sunt curati, de sustentatione, &  
commodis temporalibus nullo penitus  
modo cogitare, quoad omnes partes  
falsa est, & præterea quoad priores par-  
tes, temeraria, scandalosa, ac hære-

Sæc. XVII. sim redolens, totique Ecclesiæ, & Pa-  
A. C. 1627. storibus omnibus valde injuriosa.

XV. Respondet sanctus Thomas Reli-  
giosum excellere in bonitate, sæcularem cu-  
ratum in difficultate bene conversandi inter  
pericula hujus mundi; quæ difficultas, inquit  
ipse ad 6. non auget meritum. Et paulo  
post: Quare secundum sanctum Thomam  
religiosus Sacerdos excellit sæculares Pæ-  
res in bonitate, & in illa difficultate, quæ  
est plena meriti, & securitatis.

Censura. Hæc propositio imponit  
sancto Thomæ, & communi Patrum  
Sententiæ repugnat.

Denique omnes comparationes sta-  
tus Episcopalis cum regulari, quæ hoc  
libro continentur, supremum Ecclesiæ  
statum, qui Episcopalis est, maxime  
deprimunt, & summi Pontificis æque,  
ac reliquorum Episcoporum dignitati  
sunt injuriôsæ, & tota illa quæstio con-  
fusionem statuum inducit, & contra  
divinam ordinationem Pastoribus Ec-  
clesiæ Religiosos, qui Pastores non  
sunt, anteposit.

### *De Hierarchia Ecclesiastica.*

*Ex quæst. 6. Num. 1. & seqq.*

I. Demonstrare conabor, quod etiam Re-  
ligiosi ut Religiosi secundum sanctum Dico-  
sum, & sanctum Thomam non possunt ex-

cludi ab Hierarchia Ecclesiastica: & sic Sæc. XVII. A.C. 1627.  
 sacerdotes, Pastores & Episcopi Regulares  
 secundum plures considerationes erunt de  
 Hierarchia Ecclesiastica, quam sæculares  
 sacerdotes, Pastores, & Episcopi nomina-  
 tim non tantum ut sacerdotes aut Episcopi,  
 sed etiam ut sunt Regulares.

*Censura.* Hæc Propositio fallit in  
 æquivocatione nominis (Hierarchia)  
 & in propria acceptione Hierarchiæ,  
 quæ vim activam importat, falsa est,  
 temeraria, scandalosa, Ordinis Hierar-  
 chici destructiva, & erronea, licet Re-  
 ligiosus qua Religiosus ad Hierarchiam  
 pertineat passive, & improprie, eo mo-  
 do, quo tota multitudo initiandorum seu  
 participantium res sacras, & non ali-  
 ter. In quantum vero subjungit, ex-  
 inde sacerdotes, Pastores, & Episco-  
 pos regulares secundum plures conside-  
 rationes esse de Ecclesiastica Hierar-  
 chia, quam sæculares Pastores, & Epi-  
 scopos, falsissima est, temeraria, erro-  
 nea, & summo Pontifici æque, ac cæ-  
 teris Episcopis injuriosa.

II. *Temeritas est, affirmare, quod Con-  
 cilium intendisset definire ut materiam fidei,  
 quod sub nomine Hierarchiæ possint tantum  
 comprehendere Episcopi, sacerdotes, aut alii  
 Ministri ordine, & jurisdictione præditi.*

*Censura.* Hæc propositio est falsa, te-  
 meraria, & præsumptuose asserta.

III. *Sis-*

Sæc. XVII.

III. *Superiores Religiosorum cum sint proprie Ordinarii, & subditorum suorum pastores, in quantum jurisdictionem ordinariam habent, & ut ita dicam, Pastorum, magis sunt de Hierarchia, quam Episcopus solum delegatus respectu ejus loci, cui solum est delegatus.*

*Censura.* Ista propositio, in quantum dicit superiores Religiosorum esse proprie ordinarios, est falsa, & primæ institutioni Monasticæ contrariæ, in quantum vero dicit, ipsos esse magis de Hierarchia, quam Episcopum solum delegatum &c. est falsa, temeraria, & erronea.

IV. *Illi superiores Religiosi, qui officio immobiles sunt, & perpetui, unde proprie sunt in statu, & obligantur ad gubernandos, illuminandos, & perficiendos alios, qui sunt perfectionis actus; sunt vere in statu perfectionis, tum acquirendæ, tum acquisitæ; & eatenus aliquo modo sunt de Ecclesiastica Hierarchia magis quam seculari Episcopi etiam Ordinarii, etsi absque dubio in aliis longe sint inferiores Episcopis.*

*Censura.* Prima pars hujus Propositionis, quod superiores Religiosi immobiles & perpetui sint in statu perfectionis acquisitæ, nova est, falsa & temeraria: secunda in quantum innuit omnes actus Hierarchicos maximeque perfectivos illis Superioribus ex obligatione

tione convenire, ludit in æquivocatione, quæ potest inducere in hæresim. Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

Tertia, in quantum ait, ipsos in eo respectu quodam peculiari modo magis esse de Hierarchia Ecclesiæ, quam sæculares Episcopos locorum ordinarios, est hæretica, & summo Pontifici æque ac ceteris Episcopis injuriosa.

V. *Sicut officia secularia Jurisdictionem non importantia reddunt hominem civilis Reipublicæ membrum, ita spirituales actus, professiones, & officia hominem in Ecclesiastica Hierarchia collocare possunt.*

*Censura.* Hæc propositio, si intelligatur de sacro principatu Divina ordinatione instituto, est hæretica.

VI. *Dubitare non possumus, quin illa professio & vitæ status, qui maximam vim habet ad obtinendam perfectionem gratiæ, & Charitatis hujus vitæ, collocare possit professores suos intra præcipuos Ecclesiastica Hierarchiæ ordines.*

*Censura.* Hæc propositio ut jacet, est hæretica, damnata in Concilio Constantiensi, & contra mentem Concilii Tridentini, eos tantum gradus in Ecclesiastica Hierarchia collocantis, quibus ex Divina ordinatione competit, aliqua potestas & sacrum ministerium in Ecclesia.

VII. *Discussi, & probavi, Religiosos, præcipuum quemdam in Ecclesiastica Hierarchia locum tenere.*

*Cen-*



Sæc. XVII. *Censura.* Hæc propositio intellecta  
 A. C. 1627. de Hierarchia proprie dicta, quæ est  
 sacer principatus divina ordinatione in-  
 stitutus, est hæretica.

VIII. *Addere possem Regulares Presby-  
 teros ordinum a Divo Doctore in objectio-  
 ne nominatorum particulare genus Juris.*  
 Et ut ita dicam, dispositionem proximam  
 habere ad hujusmodi officia, quam secularis  
 præcise, qua Presbyteri sunt, non habent:  
 etsi enim Regulares hujusmodi ordinum mul-  
 tam actu Jurisdictionem vel potestatem ad  
 tale munus gerendum habeant, donec eas  
 a superioribus suis accipiant: tamen ratio-  
 ne instituti sui in quoddam habent ad talem  
 potestatem a superiore accipiendam, qui se-  
 ne justa causa eos privare non debet eo, ad  
 quod se obligaverunt, tale vitæ genus susci-  
 piendo.

*Censura.* Hæc propositio est falsa,  
 temeraria, erronea, ordinariæ potesta-  
 tis Pastorum, & maxime summi Pon-  
 tificis imminutiva, eamque temere  
 coarctans: tum quatenus istis Religio-  
 sis speciale quoddam jus attribuit ex  
 ipsorum voto ad munia Ecclesiastica  
 gerenda, seclusa ipsorum ordinatione,  
 ac si Jurisdictio non posset illis juste de-  
 negari, & possent suis votis obligare  
 summum Pontificem ad eos mittendos:  
 tum quatenus videtur superioribus re-  
 gularibus attribuere potestatem conce-  
 denti.

dendi Jurisdictionem, quam ex se, & Sæc. XVII.  
præcise ut Regulares sunt, non habent. A. C. 1627.

Denique tota quæstio de Hierar-  
chia Ecclesiastica, fallax est, sanctorum  
Patrum autoritatibus abutitur, &  
Hierarchiam Ecclesiasticam proprie di-  
ctam cum ipsa Ecclesia confundit, ut  
Ordinis principantis, & subjectionis  
discrimine sublato, Regularibus (qui-  
bus qua Regulares sunt, honoratissi-  
mum quidem locum inter laicos tribu-  
tum esse constat) eminentissimus gra-  
dus inter sacros Mystas seu Ecclesiæ  
Principes & Ministros autoritatem  
habentes in populum, attribuendus cre-  
datur, contra Christi & Ecclesiæ or-  
dinationem.

IX. *Contra prudentiam probat* (Do-  
ctor Kellisonus) *suam conclusionem per*  
*principia duriora, & incredibilia, quam*  
*sit ipsa conclusio: exempli gratia: ut pro-*  
*bet necessitatem Episcopi in Anglia, utitur*  
*his miris, & ineptis propositionibus: quod*  
*fit de jure divino, & sit lex divina pro*  
*una quaque particulari Ecclesia, uti*  
*Anglia est, ut Episcopum habeat: quod*  
*sine Episcopo Anglia non possit esse par-*  
*ticularis Ecclesia: quod nisi una quæ-*  
*que particularis Ecclesia suum habeat*  
*Episcopum, aut Episcopos, tota & uni-*  
*versalis Ecclesia non esset, uti Christus*  
*instituit, Hierarchia composita ex di-*  
*versis*

Sæc. XVII. versis particularibus Ecclesiis: quod  
A. C. 1627. sine Episcopo non possumus habere  
 Confirmationem, qua quicumque caret,  
 non est, sicuti præfatus Doctor ait,  
 perfectus Christianus. *Quæ omnia prin-  
 cipia pejora sunt ipsa Conclusionem, & a  
 nobis demonstrata sunt, nullum omnino ha-  
 bere fundamentum.*

*Censura.* Ista propositio in quantum  
 vocat (miras & ineptas propositiones,  
 & principia duriora, incredibilia & pe-  
 jora) dicitque ea nullum omnino ha-  
 bere fundamentum; quæ tamen uni-  
 versalis Ecclesiæ praxi, & sensui con-  
 formia sunt, toti Ecclesiæ probra est,  
 ejusque status destructiva, novam & in-  
 solentem Doctrinam continens, quæ  
 in errorem inducere potest.

#### *De Episcopo Chalcedonensi.*

Rationes, quibus Author huius  
 operis quæstione septima numero quin-  
 to avertere conatur Catholicos ab ero-  
 gandis eleemosynis Episcopo Chalce-  
 donensi contra pietatem & charitatem  
 pugnant. Prima quod non teneantur  
 Catholici sustentare aliquem, qui non  
 sit ordinarius loci, falsa est, temeraria,  
 Verbo Dei contraria, & in Religio-  
 rum ubique versantium præjudicium  
 facilius trahi potest. Secunda, quod ab

ab Episcopo Chalcedonenſi laici nullum Sæc. XVII.  
A. C. 1627.  
commodum, excepto Sacramento Confirmationis, percipere poſſint, falſa eſt, & ex Brevis Apoſtolicis verbis aperte redargui poteſt, & ſi ad omnes Episcopos ordinarios extendatur, eſt hæretica. Tertia, qua ſub aliorum nomine præſtendit multa incommoda ex admiſſione illius contigiſſe, nimium ſapientiam humanam, quæ eſt inimica Deo. Quarta denique, qua ſub alieno nomine adhuc præſtendit Chalcedonenſem Episcopum impenſurum eleemoſynas in ſeditionibus, & factionibus nutriendis, temerarium continet iudicium.

## §. CI.

*Cenſuræ proſiſitionum ex Danielis  
ſeu Floydii Apologia decer-  
ptarum.*

Postquam Facultatis Decanus die de-  
cimo quinta Januarii Apologiam Argentina  
l. 6.  
Patris Floydii ſub ementito Danielis a  
Jeſu nomine editam, atque a Maillardo ex Anglico idiomate latine redditam  
& ſelectis Doctoribus examinari juſſerat,  
tandem cenſuras, quibus ſingulæ erant  
perſtrictæ, publici juris fecit, hoc tenore. Propoſitio I. falſiſſimum eſt, ac  
in conſequentia periculoſum, quod particu-  
laris Eccleſia ſine Episcopo eſſe non poſſet.  
*Hiſt. Eccleſ. Tom. LVIII. Yy Cen-*

Sæc. XVII. A. C. 1627. *Censura.* Ista propositio intellecta de particulari Ecclesia perfecta, est falsissima, in consequentia periculosa, temeraria, scandalosa, Ordinis Hierarchici destructiva, populo Christiano noxia, traditionis Apostolicæ, & Successionis Ecclesiasticæ fundamentum convellens.

II. *Si particularis nulla Ecclesia esse possit sine Episcopo particulari, certe universalis existere non potest, sine universali Episcopo &c.* Et postea, *Verba in Definitione, non significant actum, sed aptitudinem rei.* Si quis dicat hominem esse eum, qui discurret, sensus est, qui natura aptus est ad discurrendum &c. . . . Eodem modo Ecclesia dici potest multitudo Christianorum gubernata per Episcopum, id est, ita disposita & unita in fide Christi, ut possit habere Episcopum, & opus habere Episcopo, & parata sit animis, apta & preparata ad illum recipiendum, cum legitime mittitur.

*Censura.* Illa propositio est captiosa, & in hæresin inducit, in quantum omittit obligationem, quam habet universalis Ecclesia, ut sibi provideat quantum de capite.

III. *Cujus (summi Pontificis) proprium & immediatum super nos Episcopatum relinquere, ut sit particularis Ecclesia sub Episcopo Chalcedonensi, ut notus Do-*

*Non vellet, esset relinquere substantiam, & umbram prendere.*

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

*Censura.* Ista propositio, in quantum innuit Ecclesias, quæ admittunt Episcopos particulares, relinquere summum Pontificem, easque asserit relinquere substantiam, & umbram prendere, est falsa, temeraria, scandalosa, & dignitati Episcopali injuriosa.

### *De Sacramento Confirmationis.*

I. *Catholici chrismate uncti in Baptismo licet ab Episcopo non confirmati, perfecti sunt Christiani in sensu Patrum.*  
Ibidem. Insero Anglos Catholicos, quæ baptizantur ritu Catholico, vel qui recipiunt Cæremonias Catholicas Baptismi, licet non confirmati fuerint ab Episcopo, fuisse & esse perfecte Christianos omni modo.

*Censura.* Utraque propositio est falsa, temeraria, contra sensum communem Patrum, in contemptum Sacramenti confirmationis, & in errorem inducens.

II. *Chrismatio in Baptismo per sacerdotem instituta fuit ab Ecclesia ad suppleendum, non solum significationem Episcopalis chrismatis, sed etiam effectum; nempe ad conservandos, & confirmandos homines in Baptismali gratia. Hoc docetur a Divo Thoma &c. & paulopost. Hæc Cæremonia facit hominem fortem ad resistendum peccato, ad profitendam fidem in persecutione,*

Sæc. XVII. succedentes in locum Confirmationis in hoc  
A. C. 1627. respectu &c. & paulopost. Quæ motio-  
 nes fortitudinis, & animi dantur per Chris-  
 mationem Baptismalem, ex opere operato,  
 ut multi Theologi docent: saltem per pre-  
 ces Ecclesiæ, & applicationem hujus Ceri-  
 moniæ in eum finem, quæ est doctrina multi-  
 solatii pro Catholicis commode habere non  
 valentibus Confirmationem: & ostendit,  
 quod post institutionem Chrismationis sacer-  
 dotum in Baptismo, Chrismatio per Epi-  
 scopum non sit tam necessaria, ac ante fuit.

Censura. Propositio integra falsa est,  
 temeraria, imponit sancto Thomæ, &  
 hæresim sapit.

III. Forte vereri poterant (summi  
 Pontifices) ne Confidentia hujus Sacra-  
 menti causans remissionem in usu aliorum,  
 illis (Catholicis Angliæ) noceret.

Censura. Ista propositio est summi  
 Pontificibus injuriosa, & piarum au-  
 rium offensiva.

IV. Patet, quod Confidentia in Con-  
 firmationis virtute importare possit magnum  
 periculum animabus.

Censura. Ista propositio absolute pro-  
 lata falsa est: piarum aurium offen-  
 siva, Blasphema, Sacramento & provi-  
 dentiæ Christi maxime contumeliola.

V. Cum præfatus Doctor dicit, quod  
 Confirmatio sit ordinarium medium institu-  
 tum ad dandum robur ad profitendam fidem  
 ante

ante persecutorem, si intelligat esse Ordinarium medium, verum dicit &c. Si intelligat esse ordinarium medium, id est, solum & unicum ordinarium medium ad faciendos Christianos perfectos, & fortes, dictum ejus non est consonum veritati, cum alia media instituta sint a Christo ad faciendos nos fortes.

Sæc. XVII.  
Sæc. 1627.

*Censura.* Ista propositio, quatenus videtur negare confirmationem esse unicum, & solum ordinarium medium specialiter institutum a Christo ad faciendos Christianos perfectos & fortes, utique ad profitendam fidem ante persecutorem, est falsa, temeraria, Sacramenti Confirmationis imminutiva & erronea.

VI. Omnes Theologi dicunt confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest; vel ut alii dicunt, quando commodissime, quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo.

*Censura.* Ista propositio est scandalosa, in maximum Sacramenti Confirmationis contemptum maligno animo proposita, & in errorem potest inducere.

### De Episcopis & Curatis.

*Ex Præfat.*

I. Ut præferat (prædictus Doctor) Episcopos Angelis, quoad functionem, dicit capite decimo septimo, numero secundo: Cui

Y y 3

Ange-



**Sæc. XVII.** *Angelorum dictum est, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, sicut Episcopis dictum est? cui quæstioni statim satisfacere potest quis ex verbo Dei, illis Angelis, de quibus Psalmista dicit psalmo nonagesimo, versu duodecimo: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nam quid est aliud Angelos habere curam custodiendarum ovium Dei, quam Pastores earum esse.*

*Censura.* In ista propositione author verbum Dei temere detorquet, ut ostendat Angelis tributum esse munus Pastorum, sicut Episcopis, quæ doctrina falsa est, temeraria, & hæretica.

II. *Ordinatio Presbyterorum, & Ministrorum Ecclesiæ sola est causa, quæ injert necessitatem Episcopi.* Item.

III. *Ecclesia tempore persecutionis indiget Episcopo solum propter ordinandos Presbyteros.*

*Censura.* Utraque propositio est falsa, Ecclesiæ ordinisque Hierarchici destructiva, & hæretica.

IV. *Lex divina non plus exigit, quam ut sint aliqui Episcopi in Ecclesia tot numero scilicet, ut periculum non sit, ne totus ordo subito abripiatur ex eorum mortibus: Et sic dispersi per mundum, ut omnibus Christianis sufficienter provideatur de doctis & virtuosis sacerdotibus. Si hoc fiat, legi*

divinæ satisfit, licet nulli sint *Episcopi in Gallia, Hispania, aut Anglia.* Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, scandalosa, Ordinis Hierarchici destructiva, erronea, & verbo Dei contraria.

V. *Da ergo mihi multitudinem Christianorum quantumcunque magnam, quæ non indiget Episcopo ad ordinandos sacerdotes, & audacter dicam, quod non sit opus, ut gubernator illius societatis sit Episcopus.*

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, scandalosa, Ordinis Hierarchici destructiva, & verbo Dei contraria.

VI. *Imo ponamus ordinationem sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ non esse necessariam in Ecclesia: sequitur statim, non esse opus, ut Ecclesia universalis gubernetur ab Episcopis, qui superiores sunt sacerdotibus.*

*Censura.* Ista propositio falsa est, seditiosa, perniciosam & homine Christiano indignam suppositionem continet, doctrinamque inducit hæreticam.

VII. *Donatio Confirmationis non impedit, (si non indigeant eo Episcopo ad ordinandos sacerdotes) quin grex ejus dicere ei adhuc possit, nempe pedes capiti, non indigemus te, ut sis Episcopus.*

*Censura.* Ista propositio verbis contumeliosis concepta est, inobedientiam suadet, ac hæresim redolet.

Sæc. XVII

VIII. Quod in tempore persecutionis, bonum non sit, nec conveniens, nec ullius solatium Ecclesiæ habere Episcopum, cum nullus publicus usus sit religionis,

*Censura.* Ista propositio falsa, temeraria, Ecclesiæ praxi contraria, ejus bono nociva, summo Pontifici injuriosa, ejusque Brevi pro Episcopo Chalcedonenfi manifeste repugnans, hæc hæretica.

IX. Licet obligatio Justitiæ, quam intrant curati, sit strictior, & majoris obligationis quoad peccatum, tamen obligatio charitatis, obedientiæ, & rationis, quæ religiosi se obligant ad adjuvandas animas, est, altior, excellentior, & major quoad meritum; præsertim quia tenetur ex statu laborare in messe animarum puriori intentione & liberiori a terrena mercede, quam sæculares sacerdotes tenentur, qui non laborant sine stipendio.

*Censura.* Ista propositio in quantum a vinculo, quo obligantur curati, excludit charitatem, falsa est, temeraria, & verbo Dei contraria: in quantum ex obedientia, & religiosi status instituto animas juvare, in merito præfert animarum curæ ex obligatione Justitiæ, falsa item est, temeraria & præsumptuose asserta. In quantum denique religiosos puriori intentione teneri, sæculares vero sacerdotes pro stipendio tan-

tantum laborare asserit, est falsa, temeraria, scandalosa, & toti curatorum Ordini maligne contumeliosa. Sæc. XVII  
A. C. 1627.

*De Hierarchia & Regularibus.*

I. Quod Regulares sint de Hierarchia absolute, & non tantum in hoc, aut illo sensu, articulum fidei esse puto.

*Censura.* Author novum, eumque falsum fidei articulum fingit.

II. Regulares, ut regulares, sunt Presbyteri & Prædicatores, non quod ex institutis suis fiant formaliter sacerdotes: sed quia officium & vocatio Presbyterii est cum instituto suo, & statu connaturaliter, & necessario conjuncta.

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, Ordinis Hierarchici perturbativa & erronea.

III. Religiosus, qui non est adhuc sacerdos, nondum venit ad perfectionem suæ vocationis.

*Censura.* Ista propositio absolute prolata, est falsa, temeraria Ordinis Hierarchici perturbativa, erronea, multis sanctis Religiosis, imo & nonnullis ordinum regularium primis authoribus injuriosa.

IV. Hic divus Paulus (I. Cor. 12. v. 28.) duo intendit. Imo. describere varietatem statuum, ministrorum & officiorum in Ecclesia, id est, Ordines Hierarchiæ, ut

Sæc. XVII. nosler Doctor dicit, nec aliquis dubitat.  
 A. C. 1627. Ido. numerare illa officia in ordine 1. 2.

Et 3. Secundum gradus Et eminentiam loci, uti tertius ostendit. Hinc si in hoc loco divus Paulus collocat Regulares ante sacerdotes sæculares, tunc locus regularium est altior, Et eminentior, Et propior capiti. Sed quomodo hoc probari potest? quia sanctus Paulus ponit opitulaciones, id est, auxiliares ante gubernaciones, id est, gubernatores. Nam sic ait, opitulaciones, gubernaciones, primum adjutores, deinde gubernatores. Sed opitulatores sunt regulares, quorum officium est, adjuvare Episcopos, Et assistere illis: Gubernatores sunt sæculares sacerdotes, habentes gubernacionem animarum &c. Et paulo post. Ergo secundum sanctum Paulum Et veritatem regulares sunt altioris gradus in Ecclesia, quam sæculares sacerdotes.

Censura. In quantum ex sancto Paulo deducere intendit, regulares esse gradus excelsioris in Ecclesia, quam sacerdotes sæculares, qui animarum regimen habent, est falsa, temeraria, erronea, & præsumptuose asserta. In quantum, vero Apostolum nomine (opitulacionum) regulares intelligere asserat, prout assistunt Episcopis, & ab eorum gubernacione immiscentur Sacramentorum administrationi, ridicula est, & vel ignoranter, vel malitiose Apo-

foli verba in alienum sensum detor-  
quet. Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

V. *Regulares ex suo instituto sunt auxiliatores subordinati immediate universali Episcopo, ut adhibeantur ab eo pro bono universalis Ecclesiæ, ex natura, inquam, status eorum, sepositis privilegiis exemptionum: stando in rigore divinæ institutionis, regulares immediate subjiciuntur Papæ, & liberantur ab Episcopis, ut regulares sunt, secundum votum obedientiæ, & regularium observantiarum, ad quas obligantur voto, regula & constitutionibus.*

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, præsumptuose asserta, auctoritatis Episcopalis imminutiva, in summos Pontifices, & alios Episcopos privilegiorum authores ingrata, schismatica, & hæretica.

VI. *In Ecclesia sub Christo vivente in terra septuaginta duo Discipuli proximi erant Apostolis, ideoque qui proprie succedunt septuaginta duobus discipulis, & illis simillimi sunt, sunt in Ecclesia in proximo gradu ad Episcopos, qui succedunt loco Apostolorum. Hi sunt regulares, ut sanctus Thomas probat &c. Et paulopost. Regulares sunt simillimi septuaginta duobus discipulis, ac ita propriissime succedunt eorum loco, & consequenter præferendi sunt illis, quorum labores & munera sunt sub jussu particularis Episcopi, & ex statu &*  
voca-

Sæc. XVII. *vocatione assignantur uni parvula particu-*  
*A. C. 1627. læ particularis Ecclesie.*

*Censura.* Ista propositio, in quantum ad ministeria Ecclesiastica regulares ratione status religiosi, propriissime septuaginta duobus discipulis succedere asserit, est nova, falsa, temeraria, præsumptuose asserta, contra communem Conciliorum & Patrum doctrinam, & imponit sancto Thomæ. In quantum vero autoritate proximo gradu regulares Episcopis subjungit, falsa est, temeraria, erronea, & Ordinis Hierarchici destructiva.

VII. *Qui ex Episcopis sunt religiosi, dici possunt aliquo modo altius volare, & non omnino descendere.*

*Censura.* Istud in contemptum dignitatis Episcopalis proponitur, & contra sensum summi Pontificis in cap. *Nisi pridem, de renuntiatione*, citato ab Authore, in confirmationem suæ sententiæ.

VIII. *Si status Episcopi esset absolute perfectior & sine comparatione, quam status Religiosi, cur Religiosi non possunt transire ad illum sine licentia superiorum.*

*Censura.* Ista propositio in quantum videtur negare majorem perfectionem status Episcopalis supra Religiosum, est falsa, temeraria, communi Patrum, & Doctorum consensui repugnans, & rationem continet fallacem. IX.

IX. Probabile est Episcopos ex suo statu & ex ordinaria potestate, quam habent ex divina institutione, non esse perfectores & Magistros Religiosorum, quantum ad votum, & voti perfectionem, etiam sepositis privilegiis exemptionis ab Episcopis, quam habent Religiosi.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

*Censura.* Ista propositio est falsa, temeraria, erronea, juri communi, & antiquæ Ecclesiæ praxi contraria.

X. Nec ut mihi persuadeo, hæc doctrina displicebit sanctis Episcopis, quibus Episcopi obligatio videtur tam onerosa, ut lætaturi sint ex bona probabilitate se relevari a tam alta obligatione, qualis est teneri ex statu potentes esse docere Religiosos viam perfectionis.

*Censura.* Ista propositio est contumeliosa, & irrisoria Ordinis Episcopalis, eoque sensu homine Religioso, imo etiam Christiano indigna.

XI. Excellentia Religiosi status, qua caret Episcopalis status, hæc est, quod Religio est status perfectionis acquirendæ, cum status Episcopi sit in statu perfectionis acquisitæ, non importat esse in statu, ex cujus professione perfectio actu acquiritur, sed qui supponit aliquem esse antea perfectum, dando illi nulla media propria statui, quibus perficiatur, si forte non sit perfectus, cum assumit illum statum, ita ut homo imperfectus factus Episcopus, si alias forte evadit



Sæc. XVII. dit perfectus, hoc fit exercitio actionum, A. C. 1627. quibus non tenetur ex statu. Et paulopost, si non sit ita prius (scilicet perfectus) est in periculoso statu, quia in statu requirente multam perfectionem sine mediis propriis ad illam obtinendam.

*Censura.* Ista propositio quatenus asserit Episcopum ratione sui status non teneri ad ullas actiones, nec habere ulla media, quibus seipsum perficere possit, est falsa, temeraria, erronea, verbo Dei contraria, & dignitati status Episcopalis derogat.

XII. Licet speculative status Episcopalis sit perfectior, ut consideratur secundum nudam suam naturam; tamen quia prudenter res sumenda est secundum omnes suas circumstantias, & prout moraliter haberi potest; ideo absolute status Religiosus plaris æstimandus est, & felicior putandus, & pro quolibet in particulari perfectior. Nam ad considerandam excellentiam status, non tantum considerare debemus perfectionem actionum, ad quas obligat, & strictam obligationem, quam infert possessio, sed etiam possibilitatem vel probabilitatem perficiendi tam altas obligationes. Nam obligari sub pœna peccati & damnationis ad perficiendas actiones, quæ moraliter loquendo non sunt possibiles, non tam est perfectus, quam miserabilis status.

*Censura.* Ista propositio in quantum abso-

absolute in praxi statum Religiosum Sæc. XVII.  
 perfectiorem asserit Episcopali, nova A. C. 1627.  
 est, falsa, temeraria, præsumptuose  
 asserta, & statui Episcopali injuriosa.  
 In quantum vero innuit actiones, ad  
 quas tenentur Episcopi, sub pœna pec-  
 cati & damnationis non esse possibiles,  
 est Blasphema in bonitatem divinam,  
 & hæretica.

XIII. *In hoc status Religiosorum potest  
 videri multum honoris habere præ statu  
 Episcoporum, & sacerdotum, quia horum  
 status nec essentialiter, nec divina positiva  
 lege requirit specialem castitatem præter il-  
 lam vulgarium Christianorum, ubi status  
 Religiosorum, non solum divina positiva  
 lege, sed etiam essentialiter includit profes-  
 sionem Angelicæ puritatis.*

*Censura* Ista propositio est malitio-  
 se prolata in contemptum Cleri sæcu-  
 laris; quatenus omittit specialem ob-  
 ligationem, qua tenentur Episcopi, &  
 sacerdotes ad specialem castitatem ser-  
 vandam. Quidquid interim sit de aliis  
 partibus propositionis.

### *De Episcopo Chalcedonensi.*

I. Si Catholici huic motioni concede-  
 rent (scilicet recipiendi Episcopum Chalce-  
 donensem tanquam Pastorem & Episcopum  
 suum proprium) quomodo possunt se excu-  
 sare, ne sint digni illius reprehensionis,  
 quam

Sæc. XVII. *quam Corinthii a sancto Paulo audierunt;*  
A. C. 1627. *nempe quod præcipitanter & indiscretè*  
 posuerunt se in subjectionem, bona  
 sua temporalia impenderunt, propter  
 quæ nullam remunerationem expectant  
 a Deo, tanquam exercentes humilita-  
 tem, obedientiam, patientiam, quibus  
 nulla iustitiæ corona præparatur.  
*Imo possunt per cæcam acceptionem expo-  
 nere semetipsos in manifesto periculo cades-  
 di in grave peccatum, & divisionem a suc-  
 cessore Petri, accipiendo Pastores & Gu-  
 bernatores contra ipsius ordinem.*

*Censura.* *Ista propositio, quatenus*  
 negat Episcopum a sancta Sede delega-  
 tum recipiendum esse, sicut recipere-  
 tur proprius Episcopus, falsa est, &  
 in contemptum sancti Pontificis dele-  
 gantis temerarie asserta. Quatenus ve-  
 ro asserit Catholicos talem Episcopum  
 recipientes dignos esse ea reprehensio-  
 ne præcipitatæ & indiscretæ subiectio-  
 nis, quam Corinthii a sancto Paulo  
 audierunt, falsa item est, maligna, in-  
 iuriose comparans Episcopum a sancto  
 Pontifice delegatum cum Pseudo-Apos-  
 tolis, quos eo loci notat Apostolus:  
 & in quantum dicit propter bona tem-  
 poralia ejusmodi Episcopo impensa,  
 necnon propter obedientiam ei præsti-  
 tam Catholicos nullam remuneratio-  
 nem expectare posse a Deo, nullamque  
 ejus.

ejusmodi bonis operibus Justitiæ coronam præparatam esse, est hæretica. Sæc. XVII,  
A. C. 1627.  
Denique quatenus cæcam vocat acceptionem talis Episcopi, & ait acceptantes exponere se periculo peccati & divisionis a successore Petri, falsa est, temeraria, scandalosa, viam inobedientiæ sternit, & in errorem inducit.

II. *Delegati recipere debent stipendium & sustentationem a Principe, a quo mittuntur, & non a populo, ad quem mittuntur.*

*Censura.* Ista propositio intellecta de delegato misso in aliorum commodum & necessitatem, falsa est, rationi & praxi omnium gentium contraria.

§. CII.

*Epistola gratulatoria Kellisoni ad Facultatem Theologicam.*

Quoniam vero Pater Wilsonus, ut *Argentoræ* suo libro auctoritatem conciliaret, p. 343. illum a duobus sacræ Facultatis Theologicæ Doctoribus a Fratre Stephano Reverdo, & Reginaldo de Vault Carmelitarum Priore approbatum fuisse finxisset, hinc Facultas ambos die prima Martii comparere iussit, ex quibus tamen Pater Vault scripto etiam testimonio respondit, quod hunc librum Anglicum nunquam viderit, & nequidem linguam Anglicanam calleat, tan-

*Hist. Eccles. Tom. LVIII. Zz tum*

Sæc. XVII. tum igitur absit, quod subscripserit e  
 A. C. 1627. jusmodi libro.

Hoc igitur negotio apud Sorbonam  
 confecto Mathæus Kellionus die vige-  
 sima prima Martii Parisinæ Facultati  
 gratulaturus, pro censura grates repen-  
 dit, data ex Duacensi Collegio hac e-  
 pistola: „Non vos latet, quibus viri-  
 „bus, quibus animis Clerus noster An-  
 „glicanus, tam sæcularis, quam Re-  
 „gularis laboraverint in restituenda Ec-  
 „clesia nostra Anglicana, quam schis-  
 „ma, hæresisque pene diruerant, adeo  
 „ut dum sonus nullus malleorum con-  
 „tentionis inter eos, qui deludabant  
 „in reparando templo nostro, & Ec-  
 „clesia Anglicana audiebatur, incredi-  
 „bile dictu sit, quibus successibus opus  
 „creverit, ad quam altitudinem glo-  
 „riamque surrexerit, victrix omnium  
 „conatum, minarum, tormentorum-  
 „que, quibus persecutores eam pro-  
 „sternere satagebant: adeo ut de hac  
 „nostra Ecclesia, hunc in modum redi-  
 „viva vere dici potuerit, major est glo-  
 „ria domus hujus novissimæ plus, quam  
 „primæ: nunquam enim adeo splende-  
 „bat templis, Monasteriis, sacrisque  
 „ornamentis, & divitiis (quamvis in  
 „iis nulli pene Europæ Ecclesiæ cede-  
 „ret) ac tunc temporis, quo multorum  
 „Martyrum sanguine gloriosa rubesce-  
 „bat,

bat, e quibus quindecim ultra cen- Sæc. XVII.  
tum Collegii nostri sacerdotes fuere, A. C. 1627.  
partim dum Rhemis in Campania mo-  
raretur, partim posteaquam Duacum  
commigravit. „

„Verum enimvero, quam pax &  
concordia animorum erexerat, eorum-  
dem divisio & discordia pene iterum  
prostravit. Dum enim operarii divi-  
sim laborant, & turbatis ex Episcopi  
adventu quibusdam Regularibus sese  
mutuo discordes impediunt, uno di-  
ruente, quod alius ædificaverat, opus  
non procedit, imo sane quotidie, quod  
extractum fuerat, labitur in ruinam.  
His ita se habentibus, reverendissi-  
mus Episcopus & præcipui ex Clero,  
literis mecum egerunt, ut librum e-  
derem de dignitate, & regimine Epi-  
scopali. Quibus ob eorum reveren-  
tiam, tum etiam ob patriæ amorem,  
annui: & ne ex illo aliqua Regula-  
rium offensio sequeretur, non de Epi-  
scopali tantum, verum de ceteris etiam  
Ecclesiæ ordinibus scripsi: de ipsis e-  
tiam Cardinalibus, & Regularibus,  
quibus sane Regularibus tantum tri-  
bui, quantum ipse Divus Thomas  
Aquinas Regularium decus & orna-  
mentum tribuebat. „

„Præterea in Epistola libro præfixa,  
quam Catholicis inscripsi, pacem om-  
nibus

Sæc. XVII. „nibus concordiamque consului; & in  
 A. C. 1627. „plerisque aliis libri partibus idem egi,  
 „adeo ut nec verbum paulo asperius  
 „in statum, ordinem, aut personam  
 „aliquam immiscuerim. Nihilominus  
 „in illum librum per totam Angliam in-  
 „vecti sunt aliqui Regulares (cui tamen  
 „ante eorum Clamores omnes applau-  
 „debant) tandemque duo Religiosi  
 „Angli, libros duos contra librum il-  
 „lum ediderunt, simulque contra Re-  
 „verendissimum Chalcedonensem, qui  
 „in libri mei propugnationem, breve,  
 „sed nervosum opus evulgaverat.

„Duo illi libri cum erroneis, & scan-  
 „dalosis propositionibus ex illis colle-  
 „ctis, doctissimo vestro examini oblatis  
 „sunt, vosque (venerandi & Sapienti-  
 „ssimi Magistri nostri) ex insigni vestra  
 „eruditione, nec minori Zelo, eos Cen-  
 „sura vestra condemnastis, ad confu-  
 „sionem omnium Episcopali authoritati  
 „& Hierarchiæ Ecclesiæ adversantium.  
 „ad ignarorum instructionem, qui illis  
 „decipi potuissent, ad maximum deni-  
 „que Ecclesiæ emolumentum. Quos  
 „ob labores, maximamque charitatem  
 „vestram, a qua nec ipsos Britannos  
 „licet toto orbe divisos, excludi vo-  
 „luistis, non meo tantum nomine, ve-  
 „rum etiam Reverendissimi Chalcedo-  
 „nensis, præsertimque Catholicorum

„nostratum, ac hujus demum Collegii Sæc. XVII.  
 „Anglo-Duaceni, quas possum humil- A. C. 1627.  
 „limas ago gratias, agamque semper.  
 „Sperans insuper Facultatem vestram  
 „Sacro-Sanctam, sicut supra omnes a-  
 „lias facultates, ipsique Sedi Aposto-  
 „licæ proxima, semper enituit, in Cen-  
 „suris contra erroneas, & scandalosas  
 „opiniones proferendis, quibus Eccle-  
 „siam Dei ab hæresi, schismateque con-  
 „servavit; ita etiam per hanc censu-  
 „ram, saluti multarum animarum con-  
 „sulturam, quæ hujusmodi libris, in  
 „contemptum Episcopalis authoritatis  
 „trahi potuissent, effecturamque, ut  
 „Regulares nostrates, majorem Epi-  
 „scopo Cleroque deferant veneratio-  
 „nem, atque eam exhinc pacem post  
 „hanc diffensionem, eam post hanc pro-  
 „cellam, serenitatem per vos fore sta-  
 „biliendam, quæ occasionem nostratri-  
 „bus præbeat dicendi, non quis est  
 „iste (ut ipsi Doctorum Principi dictum  
 „est.) Sed quænam est ista Facultas,  
 „quia venti & mare diffensionum obe-  
 „diunt ei? Deus venerandas Domina-  
 „tiones vestras Academiæ vestræ do-  
 „ctissimæ, & Ecclesiæ Gallicanæ flo-  
 „rentissimæ servet incolumes.,”



Sæc. XVII.

A. C. 1627.

§. CIII.

*Richardi Chalcedonensis Episcopi  
stola ad eandem Facultatem  
Parisinam.*

Ut pariter Richardus Chalcedonensis Episcopus suam testaretur gratitudinem. sequentes ad Parisinam Facultatem ex Londinensi urbe literas dedit. „Quam nominis celebritatem Universitatis Parisiensis de Ecclesia Dei præclare merita superioribus sæculis apud omnes consecuta est, eam summa fide, prudentia, atque integritate ad posteros continua temporum serie propagare solemne fuit. Quod ut doctissimis elucubrationibus, magnisque pro Religionis negotio susceptis laboribus orbi christiano quotidie testatum facere non desistit, ita in ejusdem Universitatis laudibus haud postremo loco recensenda venit insignis illa industria, qua averruncandis erroribus ac pravorum dogmatum sentibus in Ecclesia pullulantibus constanter invigilat. Optimum sane Reipublicæ Christianæ utilissimum, ac prorsus necessarium, quod tanto etiam magis in Authoribus laudandum. quanto ad plures propagatur, nec unius duntaxat gentis beneficio concluditur. Quocirca per spectat

„specta nuper sedulitate vestra, tum in Sæc. XVII. A. C. 1627.  
 „quibusdam propositionibus hibernicis,  
 „tum maxime in duobus libellis angli-  
 „canis, pravisque dogmatibus in eis-  
 „dem contentis, censura vestra notan-  
 „dis, & condemnandis, qua Ecclesiæ  
 „Anglicanæ atque Hiberniæ, æque ac  
 „Galliæ vestræ consulere voluistis: me-  
 „rito beneficium illud, quod Ecclesiæ  
 „nostræ factionibus misere disceptæ  
 „maximum fuit, sapientissimis Magi-  
 „stris ac celeberrimæ facultati Parisiensi  
 „acceptum ferre, & pro dignitate sua  
 „gratulari, tum meo, tum Cleri hu-  
 „jus nomine operæ pretium duxi: ma-  
 „gno quidem malo nostro didicimus re-  
 „periri in Ecclesia Anglicana homines,  
 „qui licet in subsidium Pastorum missi,  
 „cæteris tamen omnibus præeminere  
 „cupientes, ut discipulos post se ab-  
 „ducant, ordinariorum Pastorum au-  
 „thoritatem passim enervare ac immi-  
 „nuere, suamque novis cusis doctrinis  
 „Ecclesiasticæ Hierarchiæ ac Discipli-  
 „næ a sacris Canonibus stabilitæ re-  
 „pugnantibus venditare non desinunt.  
 „Horum conatibus obsistendis (quid-  
 „quid ipsi obloquantur) constat præ-  
 „fatam censuram vestram, interea tem-  
 „poris, quo summus Pontifex præsen-  
 „tibus malis opportunum remedium  
 „per sententiam suam adhibuerit, ma-  
 „gnum

Sæc. XVII. „gnum robur ac firmamentum allatur  
 A. C. 1627. „ram, qui posthac res novas in Eccle-  
 „sia moliri, aut pernitiōsa dogmata in  
 „populo spargere ac disseminare præ-  
 „sumpserint. Pro opera vero, quam  
 „Ecclesiæ Anglicanæ hac in re egregie  
 „navastis. nostrorum hominum erit,  
 „grati animi vices rependere, quod  
 „facti memoria posteris commendata  
 „Clerus iste quam efficaciter procurare  
 „non omittet, qui etiam pro venera-  
 „tione, quam debet Facultati vestræ,  
 „summis votis contendit, ut continuis  
 „meritorum ac gratiarum accessibus  
 „ad majorem sui dignitatem amplifice-  
 „tur. De cætero Deum optimum Ma-  
 „ximum precor, ut sapientissimos Ma-  
 „gistros diutissime sospitet. Londini  
 „XV. Kalendas Martii MDCXXXI. „

Nondum tamen mitigata erat ani-  
 morum acerbitas; unde Chalcedonen-  
 sis Episcopus, cum in Anglia suæ se-  
 curitati haud consultum crederet, in  
 Gallias recessit, a Cardinale Richelieu  
 perbenigne exceptus. Interea vero  
 plura divulgabantur opuscula censura  
 Parisinæ oppido injuriosa, quæ tamen  
 omnino Franciscus Hallierus Sorbonæ  
 Doctor confutabat, edito libro, qui ti-  
 tulum præfert: *Defensio Hierarchiæ  
 Ecclesiasticæ*. Postea sub nomine Petri  
 Aurei

Aurelii (\*), sub quo tamen Abbas Sancti Sæc. XVII.  
 Cyranus ejusque Nepos de Barcos latere A. C. 1627.  
 creduntur, alius Parisiensis Theologus  
 edidit vindicias censuræ Parisiensis, cu-  
 jus libri suppressio efflagitabatur: ob-  
 stitit tamen Clerus Gallicanus: Insu-  
 per Nicolaus le Maitre Sorbonæ Theo-  
 logus ac postea Lombardiensis Episco-  
 pus

Zz 5

(\*) Larvato huic Petro Aurelio Clerus Gal-  
 licanus ob lucubrationem ab ipso editam gra-  
 tias rependit sequenti epistola encomiis turgi-  
 da: *Dei optimi Maximi providentia, qui eccle-  
 siam suam nunquam sinit impune violari, exti-  
 tit repente Hierarchiæ vindex acerrimus, vir  
 omnibus notus, omnibus ignotus, Et in ipso  
 veræ avitæque Theologiæ sinu educatus, qui li-  
 bris præstantissimis editis, errorum monstra glo-  
 riosissime jugulavit. Gallicana Ecclesia tam exi-  
 mio defensionis genere, Patrum dignitatem re-  
 stitutam, adversariorum errores confutatos,  
 Calumnias dilutas, mendacia reiecta, stultis de-  
 nique secundum stultitiam illorum, ut Scriptura  
 jubet, responsum fuisse, gaudet, gratulatur,  
 exultat, Et nescit, quid potissimum in fortissimo  
 propugnatore mirari debeat, an rerum eccle-  
 siasticarum eruditionem, Patrum, Conciliorum  
 notitiam; an styli majestatem, Et pugnae ac-  
 comodatam eloquentiam; an in erroribus refu-  
 tandis rationum pondus; an in eruendis adver-  
 sariorum technis solertiam; an in asserenda ve-  
 ritate*

Sæc. XVII. pus Parisinam censuram acriter pro-  
 A. C. 1627. pugnat, divulgata perdocta lucubra-  
 tione, cui titulus: *Institutio antiqui Epi-  
 scoporum Principatus &c.*

§. CIV.

*Conclusiones Parisinæ Universitatis  
 contra Hermani Leomelii  
 Spongiam.*

Dupin. l. c. **Q**uantumvis Parisina Facultas utrius-  
 Argentre. que damnati libri Authores non  
 pag. 358. nominarit, nihilominus hi honorem  
 suum hac censura læsum rati, adver-  
 sus illam duos divulgaverunt libellos,  
 quorum prior erat: *Ecclesiæ Anglicanæ*  
 ad

ritate candorem; an in explicandis *Mysteriis*  
 abstrusioribus, ac divinius felicitatem; an  
 spirantem erga sponsam Christi amorem; an  
 veram, minimeque fucam mentis humilitatem  
 & gravitatem. Unum est, quod doleat, in-  
 compertum sibi adhuc esse, qua manu tot for-  
 tissima tela in hostes vibrantur, quaque ipse  
 gloriose triumphet, - - qui occulte uni Deo sa-  
 litaverat, in occulto a summo Imperatore cor-  
 nari studuit. Non famam, non honorem, non  
 gloriam aucupatus est, non orbi terrarum præ-  
 claris lucubrationum titulis innotescere voluit.  
 Magnum est, tot præstantes libros edidisse, tot  
 secunda prælia decertasse, tot veritatis hostibus  
 altum

ad querimonias Apologetica contra Fran- Sæc. XVII.  
 ciæ Antisites. Alter, quo Author Fa- A. C. 1627.  
 cultatem infectatus est, inscribatur

*Spongia, qua diluuntur calumniæ nomine  
 Facultatis Parisiensis impositæ libro, cui  
 titulus: Apologia pro Sede Apostolica una-  
 cum appendice contra Censuram Ar-  
 chiepiscopi Parisini: Uterque hic liber  
 prodibat sub ficto nomine Hermanni Leo-  
 mellii: genuinum autem eorum Autho-  
 rem fuisse Joannem Floydum Lova-  
 niensem Theologum, jam supra memo-  
 ravimus: Eapropter Facultas Parisina  
 die decima septima Januarii anno cur-  
 rentis sæculi trigesimo secundo Lova-  
 ni-*

*altum silentium imposuisse: At longe maximum  
 parta fama frui nolle. Quisquis es igitur,  
 quia per modestiam tuam laborum tibi præmia  
 reddere non licet, hoc a nobis amicitia, gratitu-  
 dinis, honoris testimonium accipe; si, ut vove-  
 mus, adhuc in vivis es, prodi tandem, Et om-  
 nium oculis optatissimum vultum exhibe. Sat  
 modestiæ dedisti. Noli iis, qui tuis laboribus  
 fruuntur, teipsum invidere, nec diutini triumphæ  
 gaudium Victoris absentia corrumpi sine. Quod  
 si post bonum certamen pro Ecclesia certatum,  
 coronam justitiæ a justo iudice accepisti, fac, ut  
 aliquis surgat ex ossibus ultor, ut nomen tuum  
 a Calumniis in posterum vindicet, Et te in pro-  
 sternendis Hierarchicæ hostibus, passibus æquis  
 sequatur.*

Sæc. XVII. niensem Universitatem monuit, quod  
 A. C. 1627. quidam ejusdem Universitatis Doctor,  
 qui se Leomelium falso nuncupat, in  
 libro, cui *Spongia* titulus, Parisiensem  
 Facultatem, necnon Episcoporum di-  
 gnitatem maledictis prosciderit. Hosce  
 libros mox duo alii eodem genio com-  
 positi sequebantur, prioris erat titulus:  
*vindiciæ pro Nicolao Schmithæo contra  
 censuram Parisinam*: alter inscribatur:  
*Examen juridicum censuræ Parisiensis*.  
 Præterea die tertia Februarii Facultas  
 Magistris Bredæ & Meusnierolentiam  
 concessit approbandi librum, quem qui-  
 dam sub titulo: *Responsio disputationis  
 ad Leomelii Spongiam* edidit. Insuper  
 Rotomagensis Senatus Regius die se-  
 ptima Octobris edito decreto hunc li-  
 brum, cui titulus *Spongia*, tanquam  
 diffamatorium, scandalosum, impo-  
 sitis & calumniis plenum a carnifice di-  
 lacerari, ac comburi præcepit.

Enimvero instigante Patre Maillea-  
 no Jesuita, qui Ludovico Galliarum  
 Regi a confessionibus erat, Rupifocal-  
 dius Cardinalis suffragantibus sibi Du-  
 vallio, Isamberto, Corneto & Frizo-  
 nio Regiis Professoribus totus in eo  
 erat, ut Regi persuaderet, quatenus  
 ejusmodi censuris, ac libris ultro citro-  
 que editis schisma in Ecclesia esset per-  
 timescendum, proin Rex ea omnia,  
 quæ

quæ tam a Facultate Parisina, quam Sæc. XVII.  
 ab aliis ex altera parte circa has cen- A. C. 1627.  
 suras prodierant, supprimi juberet:  
 Cornetus quoque proposuit, utilissimum  
 fore, si utraque contendentium pars  
 Senonensi Synodo, cui Perronius Cardi-  
 nalis præfuerat, subscribere tenerentur.  
 Huic opinioni infistebant præcipue Mail-  
 leanus, Binnetus. & alius quidam Je-  
 suita. Postquam vero hoc colloquium  
 coram Rege habitum ceteris Sorbonæ  
 Doctoribus innotuerat, hi vehementer  
 excandescabant, eo quod quatuor isti  
 Doctores sua judicia contra Parisinam  
 censuram prolata suo signassent chiro-  
 grapho: unde in eos severius animad-  
 vertere statuerunt. Verum Rex Facul-  
 tati significari iussit, ne de hoc negotio  
 ageret: demum rogantibus Sueffionensi  
 Comite ac Richelio Cardinale Facultas  
 haud ultra in hos Doctores inquiren-  
 dum censuit, voluitque, ut de cetero  
 Facultati pristinum suum etiam de hoc  
 negotio deliberandi liberum jus, mos-  
 que intactus relinqueretur.

Ut tandem Pontifex hisce conten-  
 tionibus finem imponeret, die quinta  
 Maii anno millesimo sexcentesimo tri-  
 gesimo primo Constitutionem edidit,  
 ac biennio post die decima nona Mar-  
 tii ex Papæ mandato sacra Indicis Con-  
 gregatio decretum vulgavit, vi cuius  
 om-



Sæc. XVII. omnes libri ultro citroque circa hanc  
 A. C. 1627. litem compositi supprimerentur, judi-  
 cio decisivo sacræ Sedi reservato. Ni-  
 hilominus tamen Clerus Gallicanus o-  
 pera Petri Aurelii suis impensis typis  
 edi jussit, præmisso operis elogio mox  
 relato, quod Antonius Godeau Vin-  
 ciensis Episcopus concinnabat, imo &  
 Ludovicus Cellotius, infausito tamen  
 successu, hanc litem redintegrare ausus  
 est, dum anno Domini milleimo sex-  
 centesimo quadragesimo primo suum  
 librum *de Hierarchia & Hierarchis* vul-  
 gaverat.

## §. CV.

*Juramentum ab Academia Salmanti-  
 censi pro propugnanda SS. Au-  
 gustini & Thomæ doctri-  
 na præscriptum.*

*Hist. Con-  
 greg. l. 4.  
 cap. 33.  
 Argentre  
 tom. 3.  
 Coll. jud. de  
 novis error.  
 pag. 238.*

Iteratis quidem vicibus, atque etiam  
 num hoc anno die vigesima quarta  
 Septembris Ord. FF. Prædicatorum pro  
 definienda Auxiliorum controversia Ur-  
 bano VIII. Pontifici, irrito tamen suc-  
 cessu supplicabat, prævalentibus iis,  
 qui suæ causæ diffusi, pronuntiatas an-  
 tea censuras silentio involvi petebant.  
 nihilominus Salmanticensis Academicæ  
 Doctores, ut Molinianæ opinioni om-  
 nem aditus spem præcluderent, con-  
 ventu

ventu die nona Mensis Junii habito de-  
 liberarunt, de statuto condendo, vi <sup>Sæc. XVII.</sup>  
 cuius omnes Academiæ Magistri do- <sup>A.C. 1627.</sup>  
 ctrinam SS. Augustini & Thomæ sequi,  
 ac defendere adstringerentur: Ubi hæc  
 quæstio publice proponebatur, annue-  
 re sexaginta Doctores, uno duntaxat  
 alterove repugnante: postquam vero  
 pro majore omnium libertate res per  
 secreta suffragia decidebatur, una om-  
 nes nullo excepto (quod tamen hæc-  
 tenus nunquam in hac Academia accidit)  
 declararunt, etiam juramento Magistros  
 ad hujus doctrinæ defensionem esse  
 constringendos: Eadem igitur adhuc  
 die in Academiæ Aula una omnes se-  
 quens emisere juramentum: *Juro in*  
*quotidianis lectionibus, quas in Academia,*  
*vel Cathedræ moderator, vel voluntarius*  
*Professor legero, me docturum, atque lectu-*  
*rum in Theologia scholastica Doctrinam S.*  
*Augustini, & Conclusiones Divi Thomæ,*  
*quas in summa Theologica docet, ubi horum*  
*sanctorum mens aperta fuerit, ubi vero an-*  
*ceps & dubia, nihil docturum, neque lectu-*  
*rum, quod eorum Doctrinæ adversari sen-*  
*serim, sed quod vel juxta meum sensum,*  
*vel eorum, qui Discipuli sanctorum Augu-*  
*stini & Thomæ communiter censentur, tan-*  
*torum Patrum Doctrinæ magis conforme*  
*judicaverim. Excipio opinionem de Imma-*  
*culatæ Virginis conceptione, & ea, quæ*  
*jure*

Sæc. XVII. A. C. 1627. *jure Ecclesiastico immutata sunt, vel postea immutabuntur, & quæ cum olim controversa essent, jam Constitutionibus Apostolicis definita sunt. Et si aliquando Cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones sequi absque perjurii crimine.*

*Miræus  
Script. Sac.  
cul. XVII.  
pag. 194.*

Hæc juramenti norma non modo ex Academiæ mandato typis edita est, sed insuper Basilius Pontius Legionensis Ord. S. Augustini Salmanticensis Doctor pro confirmando hoc Academiæ statuto ac juramento tractatum primo Salmanticæ, postea Bracciani, seu verius Romæ, ac demum Duaci impressum divulgare jubebatur, cui titulus est: *Celeberrimæ Academiæ Salmanticensis, de tenenda & docenda Doctrina sanctorum Augustini & Thomæ Aquinatis iudicium statuto, juramentoque solemniter firmatum, & contra impugnantes propugnatum.*

Verum adversus hoc Universitatis decretum insurgentibus sex Theologi ex Ordine Fratrum Minorum, qui Madridi librum ediderunt, sic inscriptum: *Commentarius pro Ordine S. Francisci ad defensionem doctrinæ Scoti Seraphici Doctoris, aliorumque Classicorum ejusdem Ordinis Doctorum: super juramentum ab Universitate Salmanticensi emissum de prælegenda & tra-*

tradenda duntaxat SS. Augustini & Thomæ doctrina, exclusis aliis, quæ eisdem sunt adversæ. Utinam amico Platone amicior Ecclesiæ veritas, charitasque semper in scholis triumphasset?

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. CVI.

*Synodi Diœcesanæ Coloniensis decreta.*

Hoc item anno Ferdinandus Baviaræ Dux, atque Coloniensis Archiepiscopus & Elector die decima nona Aprilis Diœcesanam Synodum celebrabat, conditis in ea variis decretis, quorum tamen nonnisi particularia adducimus, ac primo quidem Synodus omnibus Curatis præcepit, ut Catecheticæ lectionis institutionem ubique introducant, & Magistratus profani eo tempore populum a choreis & lusibus arceant, necnon munuscula pro pueris ex publico ærario suppeditent, Sustulit etiam abusum, quo Sacrum oleum in feria quinta Hebdomadæ sacræ laici vel etiam fœminæ submissæ ad Parochias deferebant: jussit igitur Synodus, ut deinceps Archipresbyteri per se vel per Sacerdotes sacris vestibus indutos hoc S. Oleum ex Ecclesia Metropolitana recipiant: Mandavit insuper Synodus, ut amotis aliis Breyariis & Mis-

*Hist. Eccles. Tom. LVIII.*      A a a      sa-

Sæc. XVII. salibus deinceps Clerici non nisi Colo-  
 A. C. 1627. niensi utantur, ac Sacerdos quidam  
 constituatur, qui novos Sacerdotes  
 in Ecclesiæ ritibus instituat. Præcep-  
 tit quoque, ut in omnibus Ecclesiis  
 imposterum post vespertinum pullum  
 campanæ signo populus ad habendam  
 commemorationem pro defunctis ad-  
 moneatur.

## §. CVII.

*Scriptorum quorundam Catholicorum  
obitus.*

*Miræus  
 Script. Sæ-  
 cul. VII.  
 Flor. in vit.  
 Thom.*

**E**x Scriptoribus Ecclesiasticis Religio-  
 ne Catholicis non admodum multi  
 hunc annum vitæ suæ funestum ha-  
 buere; hos inter tamen primus die quart-  
 ta Augusti obiit Madriti Athanasius  
 Germonius Tarantasiæ Archiepiscopus  
 Taurini anno prioris sæculi quinquage-  
 simo primo natus, qui Philiberti Sab-  
 audix Ducis apud Hispaniæ Regem Le-  
 gatus, cum jurisprudentiæ arcana pene  
 exhausisse videretur, amplissima duo  
 volumina de jurisdictione Ecclesiastica  
 posteris reliquit præter tractatum de  
 rerum Sacrarum immunitatibus, &  
 paratitla in quinque libros Decreta-  
 lium. II. Fabianus Justiniani patria  
 Genuensis, Oratorii S. Nerei Sacerdos,  
 & Ajaciensis Episcopus, qui commen-  
 taria

taria edidit in Tobiam, necnon tracta- Sæc. XVII.  
 tum de sacra scriptura & sacro Conciona- A. C. 1627.  
 tore, item indicem univrsarum materia-  
 rum, & scriptorum in omni Facultate, cum  
 elencho Authorum, qui in S. Biblia scripse-  
 runt. III. Thomas Gratianus Ord. E-  
 remitarum S. Augustini, Provincialis,  
 qui Philippo II. Hispaniæ Regi a secre-  
 tis primus scholas literarias in Belgio  
 Juventuti per suos Religiosos aperuit,  
 librumque edidit de Scriptoribus ejus-  
 dem Ordinis IV. Justus Ricquius Ca-  
 nonicus Gandavenfis ad Divum Bavo-  
 nem multa metro prosaque festive con-  
 scripsit, inter quæ celebrantur ejus  
 panegyris Pauli V. commentarius de Ca-  
 pitolio Romano Veteri, necnon Syntagma  
 de Jubilæo & Annis solemnibus diversarum  
 Nationum, præter tres libros Elegia-  
 rum. V. Theodorus Smising Mino-  
 rita edidit Tomos II. disputationum de  
 Deo Uno & Trino, ad quod tamen ar-  
 gumentum omnem Philosophiam sco-  
 tisticam revocabat. VI. Egebertus Spit-  
 holdus Canonicus Antverpiensis, qui  
 posteris reliquit pia precationum & con-  
 templationum exercitia & meditationes in  
 Passionem & resurrectionem Christi. VII.  
 Henricus Zoefius Belga Lovaniensis  
 Doctor, qui commentaria in universum  
 jus Canonicum, necnon ad Institutio-  
 nes Imperiales, Codicem Justinianæum,  
 A a a 2 &

Sæc. XVII. & Pandectas typis vulgavit præter tra-  
A. C. 1627. statutum de Jure feudorum.

## §. CVIII.

*Thomæ a Jesu & Nicolai a Jesu Car-  
melitarum Excalceatorum mors.*

*Miræus Bibl.  
Ecl. p. 2.  
cap. 149.  
Rodrig. tom.  
quæst. Reg.  
Fichet. in  
Bibl. Scient.  
univ.*

Currente hujus sæculi anno vigesimo septimo sacer Carmelitarum Ordo deplorabat mortem Venerabilis Patris Thomæ a Jesu natione Hispani, qui inter Excalceatos Carmelitas professione emissa singulari pietatis & fidei propagandæ studio, ac scientiæ præstantia eminuit, ad Definitoris Generalis dignitatem evehctus: hunc Paulus V. Virum in Religione ac charitatis Zelo, animi alacritate, doctrina, pietate, studio atque diligentia in procuranda Dei gloria ac proximi salute valde commendatum vocabat (\*). Ob- tento etiam diplomate Apostolico Thomas sub Paulo V. novam suorum Congregationem, quæ soli propagandæ fidei intenta per infidelium terras Missionarios expediret, erigere statuit: tandem Castellæ Præfectus multis erectis Conventibus, ac Eremis die vigesima sexta

(\*) In Brevi ad Archiducem Albertum Belgii Governatorem, & ad Electorem Coloniensem. Vidi supra lib. 189. §. 27. t. 55. p. 67.

fexta Maij Sanctimonix & scientix fama Sæc. XVII.  
 clarissimus Romæ obdormivit in Domi- A. C. 1627.  
 no. Scripsit aureum opus *de procuran-*  
*da salute omnium gentium* &c. sæpius re-  
 cusum, quod Urbanus VIII. iterato ty-  
 pis imprimi, Patribus in capitulo Ge-  
 nerali congregatis specialiter præce-  
 pit. Edidit insuper I. commentaria  
 Theologica in varias quæstiones sum-  
 mæ D. Thomæ, II. Theaurum con-  
 tra hæreticos III. Apologeticam defen-  
 sionem Joannis XLIV. Patriarchæ Jero-  
 solymitani. IV. Commentaria in cap.  
 12. q. 1. de statu Monachorum. V.  
 Stimulum Missionum sive de propagan-  
 da per universum orbem fide. VI. Ex-  
 positionem in omnes fere Regulas SS.  
 Basili, Augustini &c. VII. Libros IV.  
 de divinæ orationis methodo. VIII.  
 Praxin veræ fidei, qua justus vivit.  
 IX. de Regularium visitatione. X. Sca-  
 lam virtutis, præter plurimos alios tra-  
 ctatus de Ordine Carmelitano, oratio-  
 ne mentali, contemplatione, aliisque  
 Asceseos gradibus. Alius ex eodem  
 Ordine Scriptor nomine Nicolaus a Je- Anatom.  
 su Polonus Theologiæ Professor die Ana. Soc.  
 quinta Octobris nonnisi annos triginta sect. II.  
 tres natus Cracoviæ obiit, ab impia  
 quadam fœmina veneno necatus, mor-  
 tis tamen suæ præsciens, uti in quodam  
 ejus scripto post mortem repertum est.

A a a 3

Elu-



Sæc. XVII. Elucubrabit rarissimum opus, cui titulus: *Apologia perfectionis vitæ spiritualis*, cum enim ex Magnatibus Polonis quidam scire cuperet, quomodo posset bona sua ad usus pios cum maxima utilitate animæ suæ distribuere, & cuiusnam Ordinum Regularium Nepotem suum vitæ Religiosæ desiderio captum addicere deberet, edidit quidam Anonymus epistolam, in qua Author, ut hujus Nobilis bona & Nepotem ad Societatem suam pertraheret, huic Magnati suadebat, ut bona sua illi Instituto offerret, quod nec ad psalmodiam, opera poenitentiae, nec ad paupertatem &c. sed ad docendum & prædicandum, ac vitam in victu & vestitu cum honestis hominibus communem ordinatur: Hæc & plura alia commenta Nicolaus egregie confutabat in sua Apologia, quam quidam, cum refellere non posset, clandestine editam fuisse ajebat, eoquod non ipsemet S. Palatii Magister, sed ejus Socius eam approbarit; cum verò mox omnia Romanæ editionis exemplaria fuerint distracta, rursus Romæ accedente S. Palatii Magistri subscriptione, postea Parisiis, Barcinone, Madriti, Duaci, Ravenspurgi & alibi hic liber iterato prælo recusus prodiit. Scripsit præterea Notas super Regulam Eliæ exemplo traditam, an-

nota-

notationes in Regulam Rechabitarum, *Sæc. XVII.*  
 Ellenorum, & Alberti Jerosolymitani, *A. C. 1627.*  
 necnon Regulam Evangelicam ex Evan-  
 geliis præter plura alia opuscula.

## §. CIX.

*Scriptorum e Societate obitus.*

**E**x Scriptoribus Societatis hoc anno *Alegambe*  
 obiire. I. Balthasar Hagerus, qui *Bibl. Script.*  
 vindicias cultus S. Imaginum contra *S. J.*  
 Abrahamum Scultetum scripsit, nec-  
 non *Sacrilegium Calvinisticum* contra Mo-  
 sanum, & collationem Confessionis Au-  
 gustanæ & Concilii Tridentini præter  
 concionem de Jubilæo. II. Joannes  
 Raphael Cobenzl edidit velitationem  
 contra tres Lutheranos de Baptismo  
 & librum de norma fidei contra Simo-  
 nem Mana. III. Joannes Baptista Scor-  
 tia, qui posteris reliquit tractatum in  
 selectas Pontificum Constitutiones, &  
 quatuor libros de Sacrificio Missæ.

## §. CX.

*Quidam Scriptores ex Ord. FF.*  
*Prædicatorum hoc anno mortui.*

**P**lures celeberrimi FF. Prædicatorum *Echard*  
 Ordinis Scriptorum Ecclesiasticos *Script. Ord.*  
 hoc anno invida mors Reipublicæ lite- *Præd. t. 2.*  
 raræ eripuit, hos inter primus erat *Anton. in*  
*Bibl. Hisp.*

A a a 4

Al-

Sæc. XVII. Alphonsus Fernandez Hispanus, qui  
 A. C. 1627. scripsit Historiam Ecclesiasticam sui ævi,  
 necnon concertationem pro Ecclesia Ca-  
 tholica contra hæreticos, Gentiles &  
 Judæos, præter Annales Ecclesiasticos  
 Hispaniæ, & Annales Urbis & Plasen-  
 siensis Episcopatus, unacum tractatu  
 de institutione sancti Officii Inquisiti-  
 onis, aliisque pluribus tractatibus.  
 II. Camillus Belliani S. Theologiæ Do-  
 ctor & Inquisitor Taurinensis scripsit tra-  
 ctatus de sacra Sindone & B. Amadeo  
 ac B. Margarita. III. Joannes Copen-  
 steinius doctissimum elucubraverat li-  
 brum de controversiis inter Catholicos  
 & hæreticos, necnon Spongiam Calvi-  
 nisticæ concordiæ contra Himmalium,  
 & castigationem Apologiæ Calvino-Ca-  
 techeticæ præter quamplurima alia Po-  
 lemica, & exegetica opuscula. IV. Eli-  
 sæus Mansini edidit sacrum Armamen-  
 tarium seu veram Praxin Officii Inqui-  
 sitionis, quod opus septies reculum  
 prodiit. V. Alphonsus Maldonatus  
 scripsit chronicon universale omnium  
 Nationum & temporum, de hebdoma-  
 dibus Danielis, & de Consulatu, an-  
 nisque ante Christi Nativitatem, & de  
 genealogia Christi &c. VI. Marcus de  
 los Huertos Pompejopolitano prælo  
 subjecit suum tractatum de Sacrificio,  
 stipendio & cæremoniis Missæ.

## §. CXI.

Sæc. XVII.

A. C. 1627.

*A catholicorum Scriptorum decessus.*

Ex Protestantibus hoc item anno nonnulli Scriptores calamum cum vita posuere & quidem. I. Fridericus Balduinus Dresdensis, qui commentarios in Aggæum, Malachiam, Psalmos pœnitentiales, & Epistolas Divi Pauli edidit. Exstat quoque illius tractatus de Antichristo, & disputatione Lutheri cum diabolo, necnon defensio Confessionis Augustanæ præter alia opuscula: II. Balthasar Menzerus patria Hassus, qui non modo Calvinistas acriter infectatus est, sed etiam non sine supercilio Collegas suos contempsit, eodemque arrogantiae studio contentionem Giesensium cum Tubinganis promovit. Scripsit exegesis Augustanæ Confessionis, necnon illius collationem cum doctrina Calvinii, item hujus collationis defensionem. Plura etiam mordaci admodum stylo scripsit contra Joannem Crocium, Sadaelem, Martinium, Steinium, Tubingenses & alios. III. Zacharias Sturzius elucubravit tractatus de una Religione, ac de transactione Passaviensi & Pacificatione Religionis Catholicæ & Augustanæ Confessionis præter disputationes Politicas & Historicas. IV.

*Arnoldi Hist. hæret.**Vid. supra lib. 193.**§. 97. p. 313. tom. 57.*

Aa a 5

Abra

Sæc. XVII. Abrahamus Frisius edidit *delineationem*  
 A. C. 1627. *Chronologiæ juxta sacram Scripturam con-*  
formandæ, ejusque apologiam. V. Theo-  
 baldus Zacharias prælo subjecit *Chro-*  
*nologicam Bohemicæ Ecclesiæ adum-*  
*brationem*, dehortationem de veteri-  
 bus Anabaptistis & recentioribus fana-  
 tics, tractatum de festis, & de arcanis  
 naturæ. VI. Balthasar Lydius, qui  
 duos tomos de conservatione veræ Ec-  
 clesiæ ex confessionibus Taboritarum,  
 & Bohemorum demonstrata edidit præ-  
 ter faculam Historiæ Waldensium, &  
 navigationes primas in Americam.

## §. CXII.

*Bulla Cœnæ ab Urbano VIII. inno-*  
*vata atque extensa.*

*Bull. Urban.* Die prima Aprilis Urbanus VIII. Bul-  
*VIII. Const.* lam, quæ in anniversaria Domini-  
 63. cæ Cœnæ die promulgari consueve-  
*¶ Enfant hist.* rat (\*), rursus confirmavit, ac pro tem-  
*Conc. Pis.* porum conditione in prioribus ejusmodi  
 tom. 2. Bullis aliqua immutavit. Jam enim  
*Aymon Sy-* Bullis aliqua immutavit. Jam enim  
*nod. Nation.* Bullis aliqua immutavit. Jam enim  
 tom. 1. p. 10. sæculo decimo quinto Urbanus V. Pau-  
 lus  
 & 113.

(\*) Sat probabile est, quod Gregorius XII.  
 hunc morem primus invexerit, qui ejusmodi  
 Bullam die decima-tertia Aprilis seu feria quinq-  
 ta S. Hebdomadæ promulgari jussit.

ius II. Sixtus IV. (\*) & decimo sexto Sæc. XVII.  
 Julius II. Paulus IV. & Gregorius XIII. A. C. 1627.  
 ac demum in hoc sæculo Paulus V. e-  
 jusmodi Bullas Cœnæ Domini nuncu-  
 patas, contra hæreticos & impios edi-  
 derunt. Hac lege declaratur, omnes  
 & singulos hæreticos, quamdiu in sua  
 hæresi contumaces persistunt, a Catho-  
 licæ Ecclesiæ unione rescissos esse, pro-  
 quorum tamen conversione tota Eccle-  
 sia unacum Pontifice in die Parasceve  
 Deum exorat, nec cum iis commer-  
 cium politicum, secluso perversionis  
 periculo aut scandalo, interdicit. Præ-  
 terea anathemate feriuntur. I. A Papa  
 ad Concilium Oecumenicum appellan-  
 tes: Ecclesia tamen propterea Gallica-  
 nam nunquam damnavit. II. Piratæ  
 & maritimi latrones, sed duntaxat in  
 mari *Pontificio*: ne Papa alieni maris  
 dominatum exercuisse argueretur: ipsi  
 quoque Galli Calvinistæ Piratas, etsi  
 nullius maris dominium habeant, a  
 sua cœna excludunt, quinimo Prædi-  
 cantes Rupellenses Condæum Prin-  
 cipem in sua Pseudo - Synodo ex-  
 communicatum declarare ausi sunt,  
 eoquod Navarræ Regis Henrici IV. tum  
 adhuc Calvinistæ navim in mari diripi  
 jussif-

(\*) Habentur eorum decreta Extrav. in  
 tit. de Pœnitentiis & Remissionibus.

Sæc. XVII. jussisset. III. Raptores, qui Christianis naufragium passis bona sua eripiunt: infideles enim, cum extra Ecclesiam sint, ab Ecclesia abscindi nequeunt. IV. Imponentes nova tributa, nisi id eis a *Jure* vel Sede Apostolica concessum sit, proin excipiuntur omnes Principes, aliique, quibus alias id de jure competit. V. Falsificatores literarum Apostolicarum. VI. Saracenis arma supeditantes, item victualia ad usum curiæ Romanæ advehi impediētes, aut ad Romanam Curiam negotiorum causa recurrentibus vel ibi morantibus vim inferentes: hic recursus, si in causis mere civilibus sit, non admittitur. VII. Romipetarum iter molestantes: nec tamen propterea unquam Ecclesia intendit, ejusmodi excursus suis subditis, exigente temporis, aut Status ratione, prohibendi potestatem Principibus demere. VIII. Præcipuæ dignitatis Ecclesiasticis gravem vim inferentes: rursus hac lege Clericos Ecclesia adversus iniquam vim, non vero justam vindictam tuetur. IX. Frivole appellantes a Pontificiis sententiis. X. Causas Ecclesiasticas a Delegatorum Apostolicorum jurisdictione avocantes. XI. Judices profani, qui Ecclesiasticos ad sua tribunalia pertrahunt, vel libertatem Ecclesiasticam quovis pacto violant. Saltem

tem ex antiquis Imperatoribus multos Sæc. XVII.  
 Ecclesiasticis realem ac personalem im- A. C. 1627.  
 munitatem asseruisse (\*) nemo negat:  
 quinimo Hugonotæ in Parisiensi suo Con-  
 ciliabulo anno 1559. die 25. Maij cele-  
 brato deciderunt, quod in se non sit illi-  
 citum exercere jurisdictionem in Prædican-  
 tes, dummodo hæc jurisdictione nullo pacto  
 Spiritualia attingat. XII. Illi, qui  
 Sedi Apostolicæ, Ecclesiasticis, Eccle-  
 siis aut Monasteriis sua bona & proven-  
 tus sequestrant, vel illis collectas, de-  
 cimas &c. sine Sedis Apostolicæ licen-  
 tia imponunt. XIII. Iniqui Pontificia-  
 rum ditionum invasores. Ceterum hæc  
 similesque Constitutiones jam tribus  
 ferme abhinc sæculis a latere impeti  
 dicebantur, dum earum promulgatio-  
 nes absque Regio, ut vocant, *Placet*,  
 vel *exequatur*, impediabantur: progres-  
 su tamen temporis Pontificibus, eorum-  
 que decretis non leve odium accerseba-  
 tur a nonnullis Canonistis, ac Theologis,  
 qui præter legislatorum mentem hæc  
 statuta ad casus Principum jurisdictioni  
 auctoritatisque noxios extenderunt: gra-  
 vius adhuc vulnus inflixere Pseudo-  
 Politici, ac præprimis hæretici odio in  
 Pontifices accensi, qui invalescente eo-  
 rum

(\*) Cod. de Sacros. Ecclesia & de Episco-  
 pis & Clericis.



Sæc. XVII. rum libellos passim legendi libertate (\*),  
 A. C. 1627. nequiter omnibus hujus decreti Pontifi-  
 cii verbis per dolosas ac plane detor-  
 tas interpretationes adulteratis Pontifi-  
 cem depinxere, perinde ac si despoti-  
 cum sibi in omnes Principes domina-  
 tum arrogaret, & omnibus Regibus &c.  
 potestatem legislativam & coercitivam  
 in subditos exercendi, onera eis impo-  
 nendi, delicta puniendi, belli pacisque  
 jure fruendi, jura demeret, ac propterea  
 vigente hac Bulla cuncti Principes  
 ac Reges sua Regna absque vitæ ho-  
 noris & bonorum discrimine vel possi-  
 dere nequirent, vel una omnes hoc ana-  
 themate irretiti essent: ast spurio hoc  
 Principum jura tuendi studio suum oc-  
 cultant venenum, quo sensim omnes  
 leges Ecclesiasticas, totumque Religio-  
 nis Catholicæ sistema sub obtentu, quod  
 illis Bulla Cœnæ innitatur, evertere  
 intendunt, ac juxta Joannis Petri Gi-  
 berti consilium universum Ecclesiæ Ca-  
 tholicæ Statum pessumdare adlaborant.

*Petr. de* Porro hæc Bulla in Francia conspi-  
*Marc. Con-* rantibus Regni Statibus quantum ad  
*cord. Sac.* ea, quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertati-  
*Et Imp. l. 3.* bus adversari videntur, non est recepta,  
*pag. 99.* ejus-

(\*) Vid. Pragmaticam Historiam Bullæ  
 Cœnæ Domini, item reflexiones in Bullam  
 cœnæ, pluraque alia ejusmodi schediasmata.

ejusque executio interdicta fuit, aliunde vero Franciæ Reges hac Bulla in iis, quæ jure regio agunt, non perfringuntur, atque ex privilegio ob singularia in Sedem Apostolicam merita concessio non comprehenduntur excommunicatione generali, non obstante privilegiorum revocatione. Pariter Rudolphus Imperator, Moguntinus Archiepiscopus, Hispaniæ & Neapolis Reges, Venetorum Respublica, alique Principes Catholici ejusmodi Constitutiones quoad ea, quibus sua jura labefactari credere, non acceptarunt; incassum semper reclamantibus summis Pontificibus: nunquam tamen acriores in hanc Bullam motus excitabantur, quam anno Christi millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, in quo Clemens XIII. Parmæ & Placentiæ Ducis Senatam anathemate perculerat: inde enim ortum, quod plures Principes, in quorum Regnis & Provinciis hæc Bulla erat acceptata, eandem per publica edicta proscripserint; ac demum Clemens XIV. æterna memoria dignissimus Pontifex ad Principum vota consuetam promulgationis solemnitatem intermisit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

§. CXIII.

*Alicæ ejusdem Pontificis constitutiones.*

*Bull. Magn.*  
*t. 4. & 5.*

Postquam aliquot abhinc annis Illyricæ  
Juventutis Collegium Laureto Romam  
translatum, atque Alumnorum nume-  
rus ad duodecim non sine maximo fidei  
damno in illis Provinciis emerſo restri-  
ctus fuerat, Urbanus VIII. die prima  
Junii Constitutione edita hoc Collegium  
in Lauretana urbe restituit, atque ado-  
lescentum numerum ad triginta sex re-  
vocavit, eadem quoque die idem Pon-  
tifex, ejusmodi Collegia pro sustentan-  
da, ac liberalibus disciplinis imbuenda  
Germanæ Nationis juventute Pragæ,  
Viennæ, & in oppido Fuldenſi erexit,  
attributis ex Camera Apostolica annuis  
mille quingentis Thaleris, & pro Vien-  
nenſi Collegio assignatis mille trecen-  
tis octoginta scutis Romanis: Fulden-  
ſibus autem Pontifex ſequenti anno mil-  
le octingenta scuta tam pro Alumnis,  
quam juvenibus nobiles, qui ex Pa-  
rentibus hæreticis, poſtea tamen con-  
verſis nati ſunt, assignavit. Porro ejus-  
dem Menſis die vigesima octava Junii  
Papa declarabat, quod Fratres Capuc-  
cini ſint vere Fratres Minores Ordinis  
ſancti Franciſci, ſemperque vera, &  
nunquam interrupta ſerie, *etſi tempore*  
*ſancti*

*sancti Francisci minime fuerint instituti*, sub Sæc. XVII.  
 ejusdem sancti Regula militarint, ac A. C. 1627.  
 militent: jam enim exorta hac conten-  
 tione Paulus V. die decima quinta Octo-  
 bris Anno salutis millesimo sexcentefi-  
 mo octavo deciderat, quod Capuccini  
 essent vere Fratres Minores, cum au-  
 tem addidisset hæc verba: *etsi tempore*  
*sancti Francisci minime fuerint instituti*,  
 exin recruduit altercatio, Capuccino-  
 rum adversariis, illos ex recta linea a  
 sancto Francisco non descendere infe-  
 rentibus; hanc vero litem Urbanus VIII.  
 composuit, declarans, quod instituti  
 hujus initium repetendum sit ab exor-  
 dio Regulæ Seraphicæ, quam Capuc-  
 cini sine interruptione observarunt. Die  
 autem vigesima Julii Pontifex reserva-  
 tiones pensionum perpetuarum super  
 beneficiis Ecclesiasticis, ac pensiones  
 imponendi facultates antea concessas  
 revocabat: Concessit vero Hospitium in  
 Africa erigendi licentiam pro sex Re-  
 ligiosis Ord. de Mercede Discalceatis,  
 quos a Calceatis anno priori separave-  
 rat: pariter Fratribus Minoribus de vi-  
 ginti tribus Ordinis sui Martyribus in  
 civitate Nangasaqui Cruci affixis, nec-  
 non Jesuitis de aliis tribus ibidem Mar-  
 tyrio affectis, quos suæ Societatis fuisse  
 dicebant, Missam celebrandi facultatem  
 indulgit: Obtinuit quoque Maria Ange-  
*Hist. Eccles. Tom. LVIII.* B b b lica

Sæc. XVII. lica Arnalda literas Apostolicas, vi qua-  
 A. C. 1627. rum Monasterium Portus Regii ab Or-  
 dinis Cisterciensis Jurisdictione extra-  
 ctum Parisiensi Archiepiscopo subjec-  
 tatur: Maria autem ab Angelis in Mal-  
 buSSIONensem Abbatissam renuntiata ibi-  
 dem Regularem disciplinam restaura-  
 bat. Die vero secunda Octobris Papa  
 Fratribus Ordinis Eremitarum sancti  
 Augustini indulget, ut officium de Beata  
 Rita de Cassia recitare valeant: pari-  
 ter die quinta Novembris poenas con-  
 tra Monetarum adulteratores innova-  
 vit, declaravitque, quod Fratribus Or-  
 dinis S. Joannis de Deo præcedentia a  
 Gregorio XIII. a tempore, quo decla-  
 rati fuerunt Religiosi concessa, eisdem  
 assereretur, indicto perpetuo silentio,

## §. CXIV.

*Diversæ Constitutiones a variis Con-  
gregationibus, emanatæ.*

Congreg.

Propag.

Rit. Episc.

Ecc. Forrer.

Anatom.

sect. II.

p. 230. vid.

supra l. 194.

§. 66. t. 57.

p. 588.

Variis hoc anno motis dubiis, atque  
 emergentibus controversiis sacre  
 Congregationes summi Pontificis jussu  
 diversa condiderunt decreta, & primo  
 quidem, cum Cardinalis de Harrach  
 Archiepiscopus Pragensis de Jesuitis  
 quereretur, quod violata concordie,  
 quam cum ipso iniissent, fide Academi-  
 cos honores in Universitate Carolina a-  
 liis

liis conferendi jus sibi arrogarent, sacra Sæc. XVII.  
 Congregatio propagandæ fidei die A. C. 1627.  
 decima tertia Augusti ad Pragenses Jesui-  
 tas hoc decretum transmittit: *Moneatur*  
*P. Generalis, ut suis Patribus Academicæ*  
*Pragensis præcipiat, ne vi concordie initæ*  
*cum Cardinali de Harrach, laureas Docto-*  
*ratus, aut ullius alterius gradus præbeant,*  
*qui Scholaribus conferri solent, neve alia*  
*faciant, quæ ex Sedis apostolicæ privile-*  
*giis, vel de jure seu consuetudine, aut S.*  
*Concilii Trid. dispositione, ad eundem Car-*  
*dinalem & Successores in Archiepiscopatu*  
*Pragensi spectant, donec confirmationem a*  
*Sede apostolica accipiant.*

Die autem decima sexta Januarii  
 sacra rituum Congregatio decidit, quod  
 ob Missam votivam seu defunctorum non  
 sit omittenda Missa Conventualis, &  
 quod signum, quod cum Patena a fron-  
 te ad pectus fit, integra fiat cum signo  
 Crucis: declaravit quoque die decima  
 sexta Martii sacra Episcoporum Congre-  
 gatio, quod ad obtinendam absolutio-  
 nem ab excommunicatione ob consilium  
 datum ad violandam immunitatem Ec-  
 clesiasticam incurfa non sufficiat dolo-  
 ris manifestatio, sed necesse sit, ut  
 damnet idem consilium apud eos, qui-  
 bus consuluit, hocque consilium, quan-  
 tum in eo est, revocet. Eadem etiam  
 Congregatio decidit, sibi non probari,

Bbb 2

quod

Sæc. XVII. quod Superior Regularium reservet sibi  
A. C. 1627. casus ad effectum præscribendi Confes-  
 sariis in casibus particularibus, quam-  
 nam pœnitentiam injungere debeant:  
 Decisum quoque a sacra Concilii Con-  
 gregatione die octava Maij legitur, quod  
 Episcopus Sodales compellere valeat,  
 ut consuetis supplicationibus interfint,  
 sub pœna arbitraria, præcipue stante  
 possessione illos vocandi per edicta: ex-  
 stat insuper ejusdem Congregationis  
 decretum die vigesima sexta Junii pro-  
 mulgatum, in quo decisum, quod Epi-  
 scopus ob clausuram custodiendam, e-  
 tiam in Monasteriis regularibus subje-  
 ctis possit excommunicationis latæ sen-  
 tentiæ pœnam sibi reservatæ imponere  
 circa aperitionem ostii clausuræ extra  
 Casus indigentia, necnon circa acces-  
 sus & colloquia cum Monialibus: dicta-  
 que excommunicatio liget nedum Re-  
 gulares accedentes, verum etiam Mo-  
 niales, si de ipsis mentio fiat, adeo ut  
 superior Regularis ab eadem excommu-  
 nicatione absolvere nequeat.

Duodecima autem ejusdem Mensis  
 sacra Rituum Congregatio resolvit, quod  
 celebrantes Missam solemniter, sedeant  
 a latere epistolæ: absente vero Episco-  
 po per celebrantem Benedictiones can-  
 delarum, cinerum, Palmarum, & fontis  
 fiant: si autem Episcopus benedicit  
 can.

candelas, dignior Canonicus eidem can- Sæc. XVII.  
 delam reverenter deosculatam tradat, A. C. 1627.  
 atque Vicarius Generalis cum Capitulo  
 in processione ante Episcopum incedere  
 valeat. Episcopus vero cogere possit  
 Canonicos, ut a Capellanis in jejunio  
 verno cantari faciant Missam cum sub-  
 & Diacono. Titularis autem Protono-  
 tarius non possit benedicere paramen-  
 ta pro Missa, uti die decima septima  
 Julii decisum: declaravit insuper sacra  
 Concilii Congregatio die trigesima pri-  
 ma ejusdem Mensis, quod Regulares  
 per Episcopum censuris compelli va-  
 leant ad observantiam festorum per il-  
 lum cum approbatione populi indicto-  
 rum, sique sæcularium confessiones au-  
 dirent sine licentia Episcopi, ab eodem  
 tam censuris, quam aliis pœnis casti-  
 gari possent. Denique circa sacros Ri-  
 tus die decima octava Augusti varia  
 prodire decreta, & primo quidem de-  
 cisum, quod si festum SS. Apostolorum  
 Philippi & Jacobi, vel inventionis S.  
 Crucis, aut S. Joannis ante portam la-  
 tinam, occurrerit infra octavam Ascen-  
 sionis, præfatio in missa erit quidem  
 de Apostolis, vel de Cruce, sed *com-*  
*municantes* de Ascensione. II. Oratio  
 a Superiore præcepta v. g. *Deus refu-*  
*gium*, sit omittenda in duplicibus pri-  
 mæ classis. III. In fine Missæ ad quod-



Sæc. XVII. cunque altare celebratæ fiat reverentia  
A. C. 1627. cruci infra gradus capite semper aperto.

IV. Non possit Vicarius generalis, ut  
talis, Missas cantare solennes, Sanctis-  
simum Sacramentum, aut sacras Reli-  
quias paratus deferre, nec aliis se im-  
miscere ecclesiasticis functionibus, sed  
tantum præesse, ut omnia suo ordine  
fiant. V. Si litanix majores occurre-  
rint in die sancto Paschatis, transfe-  
rantur in feriam tertiam sequentem.

## §. CXV.

*Contentio ob Magdeburgensem Ar-  
chiepiscopatum exorta.*

*Brachel. hist.* Jam dudum Joachimus Fridericus E-  
*p. 143.* lector Brandenburgicus Magdeburgen-  
*Lotich. rer.* fem Archiepiscopatum Christiano Gui-  
*Germ. t. 22.* lielmo Filio suo tum nonnisi octo annos  
*cap. 4.* nato cesserat, interim vero, donec hic  
*Caraf. Germ.* e Curatorum tutela excederet, Capi-  
*rest. p. 341.* tulum Cathedrale Metropolitanæ hujus  
*Et 10.* Ecclesiæ administrationem susceperat:  
*Vid. supra* cum autem Joachimus Elector, ut su-  
*t. 197. §. 22.* pra memoravimus, unacum Filio suo,  
*t. 58. p. 438.* ceterisque Saxonici Circuli Principibus  
arma contra Cæsarem gessisset, atque  
ab eodem proscriptus esset, Canonici  
secta Lutherani, ne Cæsar Præsulem  
Catholicum subrogaret, fidemque Ca-  
tholicam reduceret, Augustum Joannis  
Geor-

Georgii Saxoniae Electoris secundo ge- Sæc. XVII.  
 nitum Filium anno hujus sæculi vigesi- A. C. 1627.  
 mo quinto hujus Ecclesiae Coadjutorem  
 nominarunt, adjecta *promissione de suc-*  
*cedendo in Archiepiscopatu:* Ineunte au-  
 tem hoc anno Christianum Guilielmum,  
 eoquod sua in Cæsarem rebellione in-  
 numera in urbem mala accersivisset,  
 necnon pacta cum Canonicis inita, Re-  
 ligionisque pacem violasset, exauctora-  
 runt, præfatumque Saxoniae Princi-  
 pem ad capessendam Archiepiscopatus  
 dignitatem postularunt, spe freti, quod  
 hoc obsequio sibi Electorem obstringen-  
 tes, validum sectæ suæ vindicem Cæ-  
 sari opponere possent. Id vero Ferdi-  
 nandus Imperator, ægerrime tulit,  
 cumque hunc Archiepiscopatum vi e-  
 reptum Ecclesiae Catholicae restituere  
 moliretur, die undecima Februarii,  
 Pseudo - Canonicis aliunde factionis Da-  
 nicæ reis interdixit, ne ad Electionem  
 novi hujus Præfulis progredierentur:  
 Electorem vero Saxonicum per literas  
 Pragæ die eadem datas rogavit, ne  
 Filii sui postulationem ad Magdebur-  
 „gensem Archiepiscopatum ratam ha-  
 „beret, eoquod ipsemet in Mulhusano  
 „Principum Conventu querelis ob bona  
 „Ecclesiastica post Passaviensem transa-  
 „ctionem erepta, inter quæ absque dubio  
 „vacans hic Archiepiscopatus esset, sa-

Sæc. XVII. „tis fieri petiisset, proin in suspicionem  
 A.C. 1627. „veniret, perinde ac si suis ipsemet con-  
 „filiis contrarius, illis, qui Ecclesia-  
 „stico reservato in Religionis pace con-  
 „tento resistunt, in filii sui favorem ad-  
 „stipulari vellet: aliunde vero non sine  
 „maxima injuria Catholici hucusque  
 „suas causas circa bonorum restitutio-  
 „nem in Spirensi Camera prosequi pro-  
 „hibiti fuissent, eoquod secta Luthera-  
 „num pro legitimo Archiepiscopo Mag-  
 „deburgensi, ad quem tamen causas  
 „ibidem referendi jus alias competeret,  
 „agnoscere nollent: de cetero autem  
 „valde dubium sit, an non hi Pseudo-  
 „Canonici ob fædum rebellionis crimen  
 „postulationis jure exciderint: denique  
 „cum sumptus immensi pro recuperan-  
 „do hoc Archiepiscopatu facti ex Electo-  
 „rum sententia Cæsari sint refundendi,  
 „quiscunque Electus fuerit Archipræ-  
 „sul ex sua Ecclesia exiguos plane pro-  
 „ventus perciperet, nisi Cæsar has ex-  
 „pensas in divinum obsequium benigne  
 „remissurus esset. „

## §. CXVI.

*Saxonix Electoris ac Pseudo- Cano-  
 nicorum responsum ad Cæsaris  
 postulata.*

Verum

Verum Magdeburgenses Canonici, ut Sæc. XVII. A. C. 1627.  
 hujus Archiepiscopatus restituti-  
 nem re haud amplius integra, eo diffi-  
 ciliorē redderent, jamjam die vigesi-  
 ma tertia Januarii Augustum Saxonem  
 elegerunt, atque Electoris consensum  
 tam præcipiti studio procurarunt, ut  
 omnia prius essent confecta, quam Cæ-  
 sareæ ad eos literæ pervenissent, re-  
 cepta autem ejusdem epistola, ut Cæsa-  
 rem jure offensum quadantenus placarent,  
 literas ad eundem dederunt, in quibus  
 præcipue expositis causis, ob quas Christianum  
 Guilielmum exauctorassent, Augusti Saxonis  
 electionem ante receptum suæ Majestatis  
 mandatum factam ratam haberi, Cæsarem  
 rogabant, simulque petebant, ut Cæsar  
 Magdeburgensem Senatū ad restitutionem  
 operis & cautionem de non amplius offendendo  
 compellere dignaretur, eoquod hic Magistratus  
 obtenta urbem ampliandi facultate Cæsarea,  
 Neustadium, & Sudenburgum urbes ad  
 Archiepiscopalem Sedem spectantes unacum  
 monte, quem *Præsularem* vocant, dirutis  
 ædibus eripuisset, subditosque suo dominio  
 subicere attentasset: pariter hi Delegati a  
 Cæsare petebant, ut sibi diplomata privilegio-  
 rum recens Magdeburgensi Senatui, ut  
 jactitat, concessorum, necnon literæ

*Theatr. Europ. p. 1088.*  
*Ludolph. Theatr. Orb. pag. 439.*  
*Jæger hist. Eccl. p. 451. & 357.*

Sæc. XVII. communicarentur Cæsareæ, vi qua-  
 A. C. 1627. rum Schlickius Comes Quersurtensem  
 Præfecturam antea Archiepiscopali  
 Mensæ assignatam sibi vendicaret: Por-  
 ro ad Cæsaris literas Joannes Georgius  
 Saxonie Elector respondit, quod Chri-  
 stiano Guilielmo ob juratas capitulatio-  
 nis leges multis modis violatas exau-  
 ctorato, Magdeburgenses Canonici sui  
 juris ac promissi memores, Augustum  
 ejus Filium jam ante biennium in Coad-  
 jutorem electum, nunc in Archiepisco-  
 patus Magdeburgensis Primatem postu-  
 larint, hancque postulationem ipse Ele-  
 ctor biduo ante oblatas Cæsaris literas,  
 nomine Filii sui datis publicæ fidei li-  
 teris acceptarit: jam igitur sine ho-  
 noris sui jactura, dum res non amplius  
 fit integra, permittere haud posset, ut  
 vel ipse literas promissi sui testes revo-  
 cet, vel ejus Filius obtentæ dignitati re-  
 nuntiet: proin Cæsar Electorem gratio-  
 se excusatum habeat.

## §. CXVII.

*Ferdinandi Cæsaris declaratio circa  
 Magdeburgensium Canonorum  
 postulata.*

*Lotich. l. c.* Haud parum Magdeburgensium Ca-  
 nonicorum temeritas offenderat  
 Ferdinandum Imperatorem, quocirca  
 eis-

eisdem hæc responderi iussit: „Rectius Sæc. XVII.  
 „fecissent Magdeburgenses Canonici, si A.C. 1627.  
 „prius reatus illius expiationem, quo  
 „inferioris Saxonix motibus accesserunt,  
 „quærere studuissent, quam ut res novas  
 „denuo agere, & de facto prægressam  
 „illam postulationem suam tueri conen-  
 „tur. Cum igitur causæ, quas affer-  
 „runt, magis saporis sint sæcularis,  
 „quam ut canones, legesque ecclesia-  
 „sticas referant, tum id genus postula-  
 „tio nunquam a Romanis Imperatori-  
 „bus esset approbata, ideoque admitti  
 „etiam hodieque non poterit. De Mag-  
 „deburgensibus ita est, ut Cæsar, tem-  
 „poris hujus habita ratione illis con-  
 „niveat. Si itaque hæc utilitatis tem-  
 „pestas ad tranquillitatem redeat, Ca-  
 „pitulares quoque officii sui satagant,  
 „tum Cæsar ad implorationem ulterio-  
 „rem, nihil negaturus erit. Quod ve-  
 „ro de militaribus querantur, hoc il-  
 „lis acceptum referant, qui rebus no-  
 „vis studentes arma in Cæsarem hosti-  
 „lia sumere, atque hæc defensionis me-  
 „dia extorquere ausi sunt. Nihilominus  
 „Cæsar rationes inire vult, quo inson-  
 „tibus occurri, moderatioque interve-  
 „nire possit. Senatui autem Magde-  
 „burgensi a Cæsare indultum est nihil,  
 „quod cum privilegiis ecclesiasticis pu-  
 „gnet. Ut Schlickio Comiti Dynastia  
 „Quer-

Sæc. XVII. „Querfurtensis pignoris loco cesserit, in  
A. C. 1627. „compensationem sumptuum, quos ille  
 „in militiam fecit, factum est: nihilo-  
 „secius tamen jure feudi ad ecclesiam  
 „pertinet: hac de re neque querela, ne-  
 „que transumpto opus erit.„

Ad hanc Cæsaris declarationem De-  
 putati quidem respondere parabant, ve-  
 rum ne Cæsari amplius molesti essent,  
 jussi, ad sua reversi sunt: Canonici autem  
 Scriptotenus Ferdinando declararunt,  
 quod inferioris Saxonix motibus adeo  
 non accesserint, ut etiam Ecclesix suæ  
 Caput ab ejusmodi consiliis sæpius de-  
 hortati essent, proin Cæsar postulatio-  
 nem ratam haberet, suisque militibus,  
 ne Capitulo nocerent, & ejusdem sub-  
 ditis, ne a debito obsequio deficerent,  
 præciperet. Quoniam vero hi Cano-  
 nici factæ postulationi immote insiste-  
 rent, hinc Cæsar vicissim a priori suo  
 Duci Archistratego suo præcepit, ut in  
 Magdeburgensem Senatam, suosque  
 milites, si hi militaribus excessibus,  
 aut iste jurisdictionis usurpatione defe-  
 cisset, sedulo inquireret: postremo tan-  
 dem Cæsar Canonicos monuit, ut ha-  
 bita Religiosæ pacis ratione talem suæ  
 Ecclesix præficerent Præsulem, qui ad  
 hanc dignitatem vi præfatæ pacis ido-  
 neus esset.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. CXVIII.

*Leopoldus Guilielmus Archidux secundo genitus Cæsaris Filius a summo Pontifice in Magdeburgensem Archiepiscopum nominatus.*

Postmodum Cæsar, ut firmiter juri suo insisteret, Urbani VIII. Pontificis Maximi consilium, opemque implorabat, ex ejus voluntate Leopoldus Guilielmus Ferdinandi Cæsaris Filius natus secundus in Archiepiscopum Magdeburgensis Ecclesiæ, ac Germaniæ Primatem renunciatus est: quo facto Imperator hujus Provinciæ Governatorem Wolfgangum Mansfeldium Comitem, Heroem strenuum, prudentem, expertæque fidei Virum nominavit, dato eidem negotio, ut populos Archiepiscopatus subjectos ad fidelitatis & obedientiæ sacramentum Cæsareæ suæ Majestati dicendum compelleret, hujusque Principatus possessionem Dominiumque contra resistentes armata vi defenderet: Præterea rursus Saxonie Electori perscripsit, quod a concepta sententia propter privatum jus adversus publicum Imperii commodum recedere haud posset. Denique Imperator quosdam constituit, qui auctoritate Cæsa-

Carafa &  
Brachel. l. 5.



Sæc. XVII. Cæsarea muniti in vitam & gesta Cano-  
 nicorum inquirerent, eoquod ex ipsis  
 A. C. 1627. plerique unacum suo Administratore  
 rebelles contra Cæsarem, Imperium-  
 que fuissent. Hi ergo haud vano me-  
 tu perculsi, rursus duos ex suo Ordine  
 Viennam ad Cæsarem ablegarunt, qui  
 imputatam rebellionis labem eluerent,  
 & nuperam Saxonis postulationem  
 excusarent. Hi igitur ad alloquium  
 admissi exposuere, se credidisse, quod  
 dum Electoris Saxoniae, Cæsari ad-  
 „dictissimi Principis Filium in Archiepi-  
 „scopum postulaverint, Cæsareæ Maje-  
 „statis voluntati plene satisfecissent,  
 „nunc vero, cum id affecuti non essent,  
 „rogare, ut Cæsar optimum factu con-  
 „siliium iis suggerere dignaretur, om-  
 „nia se ad mentem atque arbitrium Cæ-  
 „saris promptissimo facturos animo.  
 Verum ad hæc Cæsar per Cancellarium  
 suum Delegatis responderi iussit, „quo-  
 „niam in nota postulatione non modo  
 „contra leges Imperii & Canonum gra-  
 „viter deliquissent, sed etiam inter Cæ-  
 „sarem, atque Electorem Saxoniae a-  
 „micissimum alias & optima voluntate  
 „Cæsareæ Majestati conjunctum Prin-  
 „cipem semina, ac discordiarum fomi-  
 „tem jecissent, hinc viderent ipsimet,  
 „quomodo rem cum Saxone compone-  
 „rent: Cæsarem neque ob privatam  
 „Filii

„Filiū suæque Familiæ, neque ob pu-  
 „blicam Imperii utilitatem Archiepi-  
 „scopatū cessurum. „ Dato hoc respon-  
 so, abruptoque ulteriore colloquio De-  
 putati ad suos reversi sunt,

Sæc. XVII.  
 A.C. 1627.

Re percepta Joannes Georgius Sa-  
 xoniæ Elector Canonicos Magdebur-  
 geneses datis literis, hortatus est, ne  
 novæ Archiducis postulationi, aut ele-  
 ctioni assentirentur, sed habita familiæ,  
 honoris, famæ & existimationis ratione  
 postulationem semel iterumque factam  
 tuerentur, spe certi, quod custodito  
 liberæ electionis jure id, quod injecta  
 violentia adversus conscientiam extor-  
 queretur, tam diuturnitate quam felicita-  
 te cariturum: demum Elector eisdem  
 pollicitus est, quod jus filio suo acqui-  
 situm semper salvum & integrum ser-  
 vare intenderet, sique præter expecta-  
 tionem sinistri quid eveniret, tam suo  
 quam Filii sui nomine conceptis verbis  
 desuper reclamaturus esset. His mo-  
 nitis Magdeburgenses Canonici pronas  
 dederunt aures, non tam ex affectu  
 in Saxonie Electoris Filium, quam Re-  
 ligionis Catholicæ odium; probe enim  
 prospexerant, admissio Catholico Cæ-  
 saris Filio Lutheranæ sectæ extermi-  
 nium impendere, quod tamen, cum  
 declinare satagerent, urbis suæ exci-  
 dium promoverunt, uti postea referemus.

§. CXIX.

Sæc. XVII.  
A. C. 1627.

## §. CXIX.

*Ordinis Teutonicorum bona a Donavio Equite redempta.*

*Carafa  
Comm. de  
Germ. rest.  
pag. 333.*

Interim Religionis Catholicæ restitutio in Bohemiæ regno felici profus progressu continuata est: Ferdinandus enim Imperator præter Deputatos, qui rebus politicis intenti in singulis urbibus leges recenter latas executioni darent, insuper Viros idoneos decernebat, qui rudes misera ignorantia seductos instruerent, obstinatosque corrigerent: Obstabant adhuc plures Bohemiæ Proceres, qui Cæsarei edicti sensum aut ignorabant, aut se ignorasse simulabant: his ergo Cæsar præfixum reformationis terminum ultima Decembris die expirantem ad alios quinque Menses (seclusa omni ulterioris prolongationis spe) protraxit, eosdem peramanter hortatus, ut miserum animæ suæ statum, crassamque perperderent ignorantiam, qua præpediti se ipsos ad unius Apostatæ vocem in perpetuam infidelitatis abyssum præcipitarent. Sub idem tempus Baro de Dona Ordinis Teutonici Eques Vir pietate & prudentia longe celeberrimus ex proprio suo ære plusquam quinquaginta florenorum millia suppeditabat.

eo

eo fine, ut Egrensem Commendam seu Sæc. XVII.  
 bona Sectariis antea oppignorata redi- A. C. 1627.  
 meret. Hæc postmodum bona Reli-  
 gioni sancti Joannis annuente summo  
 Pontifice adjecta cum omnibus Eccle-  
 siis Cæsar per suos Deputatos recupe-  
 rabat, ejectione hæreticis Prædican-  
 tibus Catholicos Parochos introduxit,  
 obstrepentibus incolis, qui missis ad  
 Saxoniam Electorem necnon ad Cæsa-  
 rem legatis jure Imperii usitata trans-  
 actione Passaviensi frui petierunt. Ve-  
 rum Imperator, cum rebellem hanc  
 urbem jure belli ad obsequium redu-  
 xisset, immisis tribus equitum turmis  
 magis seditiosos cives compescuit &  
 castigatis nonnullis ceteros metu ter-  
 ritos parere compulit. Paulopost su-  
 premo Ordinis Teutonici Magistro Cæ-  
 sar negotium dabat, ut servata pace  
 Passaviensi in oppidis Bopfingensi, Nort-  
 lingano, & Aulensi, necnon Dinckel-  
 spülhii & Gemundæ Catholicam fidem  
 a civibus temere desertam revocare  
 niteretur.

Quoniam vero in Austria superiori  
 terminus conversionis, vel emigratio-  
 nis a Cæsare præfixus pene exspirabat,  
 hinc Proceres in sua secta obstinati cer-  
 tatim Aulam Cæsaream accesserant,  
 hunc terminum prolongari petentes,  
 Hist. Eccles. Tom. LVIII. Ccc eo-

Sæc. XVII. eo quod turbatis adhuc rebus nec idoneum emptorem, nec æquum pretium invenire potuissent: cum autem hi ideo duntaxat, quod vel Cæsaris morte vel fortuna mutata, aut novis seditionibus interim res mutari sperarent, ejusmodi dilationes quærere crederentur, hinc Cæsar eis ultimum emigrationis terminum proximam hebdomadam sanctam, venditionis vero septem Menses præfixit, quo tempore integrum ipsis esset, vel ad fidem Catholicam reverti, vel aliud Cæsaris judicium operiri.

ERRATA *sic corrige:*

Pag. 65.	crediitque	creditque
75.	foveat	fovent.
120.	& non	necnon
130.	hinc	hic
283.	Valettæ	Valetta
323.	erectis	<del>deleatur</del>
338.	deponeretur	deponerentur
344.	variisque	variasque
560.	ad	ac

